MONUMENTA
VETERIS LITURGIAE AMBROSIANAE

II.

Mediolani, 1905 — Ex Typographeo Humberti Allegretti

MONUMENTA
VETERIS LITURGIAE AMBROSIANAE

MANUALE AMBROSIANUM

EX CODICE SAEC. XI

OLIM IN USUM CANONICAE VALLIS TRAVALIAE

IN DUAS PARTES DISTINCTUM EDIDIT

DOCTOR MARCUS MAGISTRETTI

V. CAPITULI RR. BENEFICIATORUM OFFICIALIUM
ET SS. CAEREMONIARUM METROPOLITANAE MEDIOLANEN. PRAEFECTUS

PARS PRIMA

PSALTERIUM ET KALENDARIUM
praeviis Praefatione, Dissertatione et Excerptis ex aliis codd.

MEDIOLANI
APUD ULRICUM HOEPLI
BIBLIOPOLAM
ANNO CHRISTI M. DCCCC. V.

Mediolani, IV novembris MDCCCCIV.

Nihil obstat quominus imprimatur.

Doct. Balconi Franciscus, *Arcipr. Eccl. Mediol., Cens. eccl.*

IMPRIMATUR.

In Curia Archiep. Mediolani, die V nov. MDCCCCIV.

Can. Ioannes Rossi, *Vic. Gen.*

PRAEFATIO

DISSERTATIO ET EXCERPTA

PRAEFATIO

Dicturus de *Manuali Ambrosiano* quod ex antiquissimo saeculi XI codice in pluteis Ordinariorum Ecclesiae mediolanensis servato nunc primum typis edendum curavi, de singulis libris ambrosiani ritus aliquid dicam, ut vel ex eorundem notitia constet praestantia *Manualis,* quod omnium librorum liturgiae nostrae index et quodammodo compendium iure vocari potest.

Beroldus ecclesiae maioris Mediolani cicendelarius, in suo Ordine (Magistretti, *Beroldus, sive Eccl. Ambr. Mediol. Kalend. et Ordines saec. XII.* Mediolani 1894) passim commemorans libros a clero mediolanensis metropoleos in sacris peragendis adhibitos, eorundem seriem suppeditat, quae non inveniretur in aliis scriptoribus ante saec. XII, neque argui poterit ex codicibus qui ad nos pervenerunt; nam aliquorum, ex. gr. *tabularum* et *rotulorum,* nullum exemplar apud nos servatur.

Codicem, quem romani *Sacramentarium* vocare consueverant, *Missale* vocatum fuisse constat ex Ordine beroldiano: quantum coniicere licet ex epistolis Pauli et Gebeardi ratisbonensium presbyterorum ad Martinum custodem ambrosianae basilicae, circa annum 1132 missis (apud Mabillon,

Musaeum ital., tom. I, p. II, pag. 97 — Magistretti, *Una corrispondenza ambros. del sec. XII,* in ephem. *La scuola catt.,* Mediolani 1897) vox *Sacramentarium* tunc Mediolani prorsus ignorabatur; alioquin presbyteri illi ad eundem Martinum rescribere non debuissent: « quod autem ambiguitatem removeri postulas ab appellatione Sacramentarii ». Sed si non nomine, re conveniebat Missale ambrosianum cum Sacramentario romano; nam adhuc habemus antiquos codices, qui revera, ut ratisbonenses subiungunt, sunt « liber missalium orationum absque lectionibus evangelicis, apostolicis et propheticis » (l. c.). *Missalia plena,* de quibus infra dicendum, nec nobis defuerunt; sed constat ex ipsis codicibus saec. IX-XII nomine *Missale* designari Sacramentarium ambrosianum, quod commemorat Beroldus noster (*op. cit.,* pag. 47) utpote delatum a minore custode hebdomadario ad basilicam aestivam; et adhuc extant huiusmodi codicis exemplaria, licet pauca, quae in usum Archiepiscopi et cleri metropolitani fuerunt.

Ceteri libri in Missa adhibiti « pro lectionibus evangelicis, apostolicis et propheticis » apud eundem Beroldum (*o. c.,* pp. 47 et seqq.) passim designantur nominibus propriis, *Evangelium, Epistola, Lectio,* uti ex contextu coniici potest. Primus, scilicet *Evangelium,* portabatur a lectore hebdomadario, uno ex quatuor dictis claviculariis: lector minor septimanarius, nempe unus ex undecim terminariis nuncupatis, portabat *Epistolam;* et ipse clavicularius hebdomadarius ponebat *Lectionem* in ambone. Huiusmodi codices continebant omnes lectiones uno corpore collectas, quae sive in Missa, sive in officiis hebdomadae authenticae, in stationibus Tridui Litaniarum, et aliquibus vesperis legebantur (V. *Auctarium Solesmense. Series liturgica,* t. I. *Solesmis,* 1900, pp. 194, et seqq.). Non abs re erit advertere nullum codicem antiquiorem saec. IX extare, nec alia documenta ad nos pervenisse, quibus statui possit, quando primaevus usus legendi lectiones in corpore Bibliorum cessaverit, quem obtinuisse adhuc saeculo IV labente certum est, cum, Ambrosio auctore,

nondum omnes lectiones in sacris legendae statutae essent (cf. Magistretti, *La liturgia della Chiesa milanese nel sec. IV,* Milano 1899, vol. I, p. 79 et seqq.): idipsum indirecte etiam probatur ex facto, quod ipse s. Ambrosius *(De Spiritu sancto,* lib. III, c. X, n. 59) narrat, nempe « tempore quo impiae infidelitatis Auxentius mediolanensem « Ecclesiam armis exercituque occupaverat » arianos era sisse *ex ecclesiasticis codicibus* mediolanensibus verba s. Ioannis (Io. III, 6) *Quoniam Deus spiritus est,* quae tamen nunquam occurrunt in ambrosiano textu Evangeliorum, quae, ut recte iam notavit cl. v. Antonius Ceriani (cf. Magistretti, *Della nuova ediz. tip. del Messale Ambr.: Appunti e Documenti.* Monza 1902, p. 16), ante saec. VII iam statuta erant, ut patet ex initiis sumptis ab antiquissima latina versione in Mediolanensi ecclesia servata, et diversa a Vulgata: unde dicendum est, Ambrosium (l. c.) *ecclesiasticos codices* nuncupasse codices continentes libros integros Sacrae Scripturae.

Alium librum liturgicum, quem *Tabulam* vocabant, fortasse veteri *Graduali* romano comparandum, memorat Beroldus (*o. c.*). Nullum exemplar, quantum scio, huius codicis superest: sed ipsum constitisse ex foliis, in quibus descripti erant *psalmelli* canendi post propheticam lectionem, et ℣℣ *in Alleluia* post Epistolam, satis liquet ex dictis in Ordine beroldiano (p. 48, ll. 30 et seq.; p. 49, ll. 37 et seq.; p. 50, ll. 20 et seq.). Cur has *Tabulas* comparaverim *Graduali* non tacebo: forma ipsius romani cantus gradualis post Epistolam bene respondet his duobus cantibus ambrosianis simul iunctis; ita ut in graduali romano viderem vestigium antiquissimi ordinis Missae catechumenorum, in qua ex primaevo usu (ut patet ex Iustino, *I Apolog.,* § 67; Tertulliano et Augustino apud Martene, *De antiq. Eccl. Rit.* l. I, IV, IV, et Sulpicio in *Vita s. Martini.* l. III) lectio ex Veteri Testamento ante Epistolam usurpabatur. Sed quidquid sit de

hac hypothesi, habeat lector specimen psalmelli et ℣ in Alleluia, comparatum cum graduali Missalis romani.

Ad Tertiam Missam
in die Nativitatis Domini.

Psalmellus. Tecum principium in die virtutis tuae in splendoribus sanctorum: ex utero ante luciferum genui te.

℣ Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

(Post Epist.) Alleluia, alleluia.

℣ Hodie in Bethlehem puer natus est: et nomen eius sanctum et terribile. Alleluia.

Ad Primam Missam
in nocte Nativitatis Domini.

Graduale. Tecum principium in die virtutis tuae: in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te.

℣ Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

Alleluia, alleluia.

℣ Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Alleluia.

Ad Missam de Solemn. Paschali.

Psalmellus. Haec dies, quam fecit Dominus: exultemus, et laetemur in ea.

℣ Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in saeculum misericordia eius.

(Post Epist.) Alleluia, alleluia.

℣ Pascha nostrum immolatus est Agnus, qui est Christus Dominus Deus noster. Alleluia.

Dominica Resurrectionis.

Graduale. Haec dies, quam fecit Dominus: exultemus, et laetemur in ea.

℣ Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius.

Alleluia, alleluia.

℣ Pascha nostrum immolatus est Christus.....

Alleluia.

In festo SS. Petri et Pauli.

Psalmellus. Constitues eos principes super omnem terram: memores erunt nominis tui, Domine.

℣ Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: propterea populi confitebuntur tibi.

(Post Epist.) Alleluia *(bis in Metropolitana).*

℣ Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.

Alleluia.

In festo SS. Petri et Pauli.

Graduale. Constitues eos principes super omnem terram: memores erunt nominis tui, Domine.

℣ Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: propterea populi confitebuntur tibi.

Alleluia, alleluia.

℣ Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.

Alleluia.

Tria exempla allata sufficere ad probandam hypotesim ego crederem, praesertim si advertatur *psalmellum* ambro-

sianum saepissime convenire cum duobus primis ℣℣, qui graduale proprie constituunt. De codice, qui, ut dixi, vocabatur *Tabula*, utpote eburneis tabulis ad modum dyptici compacto, fusius inter nostrates disseruit Bugatti, in *Memorie storico-critiche intorno le reliquie ed il culto di s. Celso Mart.*, Mediolani 1782 (pp. 245 et seqq.) qui illa verba Beroldi (p. 95, l. 15 et p. 115, l. 11) ubi refertur, quod Sabbato in Traditione Symboli et die sancto Paschae in processione Primicerius lectorum ferebat *tabulas et colurna virgulta intus cum foliis*, ita interpretatus est, ut intelligi debeat, Primicerium tunc portare *tabulas eburneas* complectentes *virentes virgas* ex corylo vel alio arbore, referendo verba *cum foliis* ad *colurna virgulta*; ego tamen crederem a scriptore infimae latinitatis per illa verba *cum foliis* bene potuisse indicari *chartas* sive *membranas* ipsis tabulis insertas, quemadmodum eadem vox *folium* a Plinio (l. 37, c. 7 a med.) adhibetur pro *charta;* et in casu Beroldum voluisse affirmare, ipsam *colurnam virgultam* (quidquid sit) insertam fuisse una cum foliis in tabulis eburneis. Si haec interpretatio Ordinis beroldiani constat, dicendum erit, pauca fuisse *folia* inserta in tabulis, et fortasse substituenda, pro ratione officii vel temporis; et hac de causa, vel usu consumptum, vel deperditum, nullum exemplar huius codicis ad nos pervenisse; licet a Beroldo nobis constet quod, saltem saec. XII, psalmelli et ℣℣ post Epistolam canerentur ex *Tabulis*, non ex Antiphonario.

Tabulas adhibitas fuisse tantum in solemnibus caeremoniis ecclesiae metropolitanae non dubito, cum earum notitia in codicibus aliarum ecclesiarum, quantum scio, nunquam occurrat; et bene probari potest, inspecto *Antiphonario,* quod erat codex complectens universas partes totius liturgiae ambrosianae ad notas musicas canendas a choro, in quo omnes psalmellos et ℣℣ in *Alleluia* per extensum suis locis reperies. *Antiphonarium* ambrosianum, saltem a saec. XII (nam antiquiores codices non novi) duobus voluminibus digestum erat; unum pro officiis pro-

priis hyemalis temporis, a festo s. Martini ad Sabbatum sanctum inclusive; alterum pro officiis aestivis, a Pascha ad Adventum exclusive, quibus accedebant Commune Dominicarum, Feriarum, Sanctorum, et Officia pro mortuis. Huiusmodi fuisse Antiphonarium quod saec. XII presbyteri ratisbonenses a Martino custode thesauri s. Ambrosii exposcebant (Mabillon et Magistretti, ll. cc.) licet scripsissent: « duplicem ambrosianae auctoritatis Antiphonarium diurnum « ac nocturnum sine mora transmittere comparandum a « praesentium latore, etc. » deprehendet quisquis adeat Antiphonarium editum in *Paléographie Musicale*, tt. V, VI, Solesmis 1900, et errorem ratisbonensium, scribentium elapsis iam decem et amplius annis a die quo « cum ceteris am- « brosianis laetissimam sancti Spiritus festivitatem » celebraverant (cf. o. c., *epist. II*), facile excusabit, eo quod ipsi meminissent se duo vidisse volumina, quin recordarentur quid in iisdem contineretur.

Antiphonarii ambrosiani antiquitas, etiam si non constaret ab ipso textu antiphonarum, a versione antiquissima mss. biblicis saec. VI probata, tamen argui posset ab ipsis partibus mobilibus, ut aiunt, canendis in Missis, quae desunt codicibus Missalibus antiquioribus saeculi IX (ex. gr. codd. ambr. *A 24 inf.*, et *A 24 bis inf.*) qui complectuntur suis locis distributas lectiones Evangelii et Epistolarum et interdum Lectionum pro solemnioribus festivitatibus. His *Missalibus plenis*, in usum ecclesiarum minorum conscriptis, successu temporis separatim accesserunt antiphonae Missarum, utique sine notis musicis, in antiquissimo cod. ambr. *A 24 inf.* appositae ad calcem seriori aetate (saecc. XIV-XV), in corpore voluminis per singulas Missas, uti in Missalibus hodiernis, suis locis distributae (cf. cod. ambr. *E 18 inf.*).

Recensitis codicibus ad Missarum solemnia adhibitis, nunc de his qui ob Psalmodiam divinam, sive diurnam sive nocturnam, praeter Antiphonarium iam memoratum, adhibebantur, dicere convenit.

Psalterium, uti eius argumentum postulat, in primis

recensendum. Codices qui nunc extant (ex. gr. cod. ambr. *A 189 inf.*, saec. XII) continent integrum davidicum psalterium, cui tamen praemittitur hymnus *Te Deum laudamus,* et post psalmum 150 ponunt cantica V. et N. Testamenti, Hymnarium, et quandoque nonnulla alia, uti Kalendarium, Orationes, etc., veluti appendices, quae variae sunt in diversis codicibus, desumptae ab aliis libris liturgicis, quos infra memorabo. Non praeteribo quod hymnus *Te Deum,* in aliquibus codicibus (ex. gr. codd. vaticc., *82,* sec. X, *83,* saec. XII) primum locum tenet post cantica V. et N. T.; sed ex Beroldo, ordo Psalterii incipiens ab eodem hymno probatior existit, et veluti solus authenticus, nam « quando « ordinarii canunt psalmos (i. e. integrum psalterium).... « archiepiscopus aut presbyter incipit: *Deus in adiutorium « meum intende;* sequitur *Te Deum laudamus;* deinde sa- « lutat (i. e. per ℣ *Dominus vobiscum*), postea incipit psal- « terium. » (Beroldus, p. 57, ll. 15 et 30-32).

Rotulus, qui deinceps *Collectarium* vocatus est, omnes orationes sive collectas continet, quas archiepiscopus vel eius vice presbyter canebat sive ad Laudes, Horas, Vesperas et Vigilias, sive ad supplicationes, quae pro diversitate officii nunc *litaniae*, nunc *psallentia* dicebantur. Vox ipsa rotulus satis indicat primaevam formam huius codicis, nempe membranae in rotulum convolutae, ad instar illarum quas saec. V in ecclesia ravennate adhibitas illustravit cl. v. Antonius Ceriani (*Il Rotolo opistografo del Principe Pio di Savoia*, Mediolani 1883 — et in *Archivio Storico Lombardo,* Mediolani 1884); sed dolendum quod nullum exemplar huiusmodi *rotuli* ambrosiani ad nos pervenerit, fortasse quia maturius rotuli obsolevissent, licet saec. XII a Beroldo passim memorentur *rotuli* et *rotularii,* ministri ad custodiam huiusmodi membranarum deputati. Quidquid sit de forma rotulorum, antiquissimo hoc nomine in Ordine beroldiano diversi recensentur rotuli, continentes orationes pro diversitate officiorum distinctas: illae enim ad Laudes, Vesperas, etc. legebantur in *rotulo orationum* (*o. c.* p. 55, l. 29);

orationes vero ad stationes Tridui Litaniarum in tribus distinctis rotulis extabant: « minor custos hebdomadarius ponit « *rotulum letaniarum* super altare, *uniuscuiusque diei* sicut « competit » (*o. c.* pp. 57, ll. 22 et seqq.). Solemnis vero *benedictio cerei*, in Sabbato sancto peragenda, descripta erat in alio rotulo, quem subdiaconus hebdomadarius portabat: « et debet tenere *ipsum rotulum* ante diaconum donec le- « gerit et benedixerit ceram et ignem » (*o. c.* p. ll. 110, ll. 3 et seq.). Tantum huius *rotuli paschalis*, ut dicitur, exemplar extare in Bibliotheca Parisiensi me docuit cl. v. P. Ambrosius Amelli Prior Monasterii Casinensis.

Pro supplicationibus Tridui litaniarum, et aliarum quae peragebantur Feriis IV et VI quadragesimalibus, et Feriis II, III et IV de *Exceptato*, praeter rotulum Litaniarum adhibebatur etiam peculiare volumen, qui iure dici posset excerptum Antiphonarii, in quo omnia ℟℟ et antiphonae ordine digestae erant. Huius libri exemplar locupletissimum saec. XIV adhuc asservatur in Bibliotheca Capituli metropolitani (cf. nota 174 in *Beroldum*). Similia excerpta pro Feriis de Exceptato et quadragesimalibus accedunt veluti appendices ad libros *Manualia* dictos (de quibus infra) uti ex. gr. in codd. U. V. W. in collationibus huius editionis; quae tamen cum desint in aliis saec. XI, ex. gr. codd. S et Z, crederem has litanias tunc temporis nondum fuisse receptas in penso quotidiani officii private recitando a sacerdotibus ambrosianis.

Iam supra, ubi de codicibus pro lectionibus Missae, notavi in eisdem lectiones reperiri pro stationibus Tridui Litaniarum, et nonnullis Vesperis, scilicet Nativitatis, Epiphaniae, Pentecostes, et cuiusque Feriae VI quadragesimalis, atque officii Tridui hebdomadae in *Authentica:* sed in psalmodia ambrosiana aliae lectiones ad Matutinum, ad Psalterium, ad Vigilias et, tempore quadragesimali, post Tertiam et ante Missam (cf. Beroldus, *passim*) legebantur. Libri pro huiusmodi lectionibus, quantum ex indiciis liturgicis in codicibus adhuc asservatis argui potest, erant ipsa volu-

mina Bibliorum, vel Passionaria (haec probabiliter primaeva aetate ad Missam cathecumenorum adhibitae fuerunt), et Homiliaria ad usum liturgicum parata: tantum seriori aetate forma voluminum commodior pro sacrae Scripturae libris adhibita invenitur; cuiusmodi sunt codices singuli pro singulis libris canonicis, praesertim pro Genesi, Proverbiis, Iob et Tobia, qui quadragesimali tempore in ambone legebantur. De Passionariis si quid lector ultra nosse velit, adeat *Catalogum Codicum Hagiographicorum Biblioth. ambr.* (Analecta Bolland. t. XI, 1892) ubi amplissime recensentur Passionaria liturgica in Metropolitana mediolanensi olim adhibita.

Pro Sacramentorum et Sacramentalium ministratione non poterant deesse vel codices vel rotuli liturgici, a quibus *Rituale Sacramentorum* derivasse censendum est: attamen, sive usu consumpti, sive deperditi, pauca exemplaria horum codicum, et haec antiquitate non ita praestantia, ad nos pervenerunt, quae multum inter se quoad partium distributionem discrepant: attamen non nego *Ritualia* huiusmodi concordare et convenire cum Ordinibus pro Sacramentorum administratione in calce nostri Manualis *R.* insertis.

Praetermitto notitiam *Pontificalis,* sive codicis in usum archiepiscopi pro functionibus ordinis pontificalis propriis, etenim de eodem iam disserui in vol. I *Monumentorum,* et novissime cl. v. Ioannes Mercati (*Antiche reliquie liturgiche ambrosiane e romane,* Roma 1902) plura et scite pro modulo suo conscripsit.

De *Manuali,* quod praestantissimum inter libros ambrosianos locum tenet, nunc dicendum, a quo saec. XV et XVI derivata sunt *Breviaria.*

Manuale, ut vox ipsa audit, erat codex ad manus prae ceteris habitus, nedum in privata psalmodiae recitatione, sed etiam in publicis functionibus sacris, sive pro Missis, sive pro chorali psalmodia aliisque funtionibus, ut constat ex codice metropolitano *Beroldo novo* (cf. Magistretti, *Beroldus,* etc., p. XXV) quem maiores nostri semper habuerunt

veluti totius liturgiae cleri metropolitanae *directorium,* in quo potiorem partem tenet *liber manualis,* cui amanuensis inseruit, ad instar rubricarum, excerpta Ordinis beroldiani. *Manuale* omnes officii et Missarum partes quae ad chorum pertinent cum indicatione psalmorum continet, distributas ratione temporum, ita tamen ut praecedat *Sanctorale* et *Temporale* proprium, sequatur Commune, cum Officio pro mortuis. Hac ratione *Manuale* convenit cum Antiphonario, exceptis notis musicis; sed Manuale locupletius apparet additis ad praxim choralem nonnullis aliis, quae tamen in diversis codicibus plura vel minora sunt pro diligentia vel peritia amanuensis. In aliquibus enim (ex. gr.: codd. S. V. M.) adduntur, suis locis apte distributae, *orationes* quae a presbytero vel archiepiscopo legendae erant, et etiam *initia lectionum* in Missis et officiis propriis de tempore: in aliis vero, ad calcem, adduntur antiphonae et litaniae pro supplicationibus Feriarum *de Exceptato,* et quadragesimalium.

Manuale, olim Vallis Travaliae, quod nunc primum editur (licet ei desint initia lectionum), aliis praestare ratione additionum huiusmodi quisque concedet; ipsi enim, praeter orationes et hymnos in corpore officiorum, accedunt, initio, integrum Psalterium ambrosianum cum Kalendario, et in calce, ritus pro Baptismo et Extrema unctione, cum aliis nonnullis: et nedum his rationibus praeferendum est, sed insuper commendatur, tum antiquitate, tum integritate textus, qui locupletissimus et, quod praestat, cum codice metropolitano *M,* sive *Beroldo novo* concordat. Non tamen, benigne lector, credas alios codices a metropolitano discrepare: diligenti collatione instituta, praesertim quoad partes proprias et communes *de tempore* atque proprium Sanctorum, quorum cultus antiquissimus in ecclesia mediolanensi probatus est, nulla vel levis discrepantia inter codices deprehenditur, quod est indicium maximae antiquitatis; et hac de causa in notis solummodo recensui varietates inter *R* et *M,* de cuius authenticitate non est dubium, una simul cum ceterorum codicum variantibus lectionibus textus liturgici. Unum super-

est notandum, nempe *Manuale*, originem duxisse ab Antiphonario, quemadmodum nos docet codex U, saec. XII, inscriptus: « In nomine scae Trinitatis incipit Antiphonarium « de universis festivitatibus anni circuli Mediolanensis ec- « clesiae »: sed nomen suum habuisse, ut distingueretur ab Antiphonario proprie dicto, probant alii codices coaevi codici U, ex. gr. cod. V, qui inscribitur: « In nomine.... incipit « liber *qui appellatur Manualis* de singulis dominicis sive « festivitatibus in circuitu anni ». Hac ratione codicem *R*, *Manuale* appellandum duxi, potiusquam Breviarium vel Antiphonarium, cum ipse potiori parte, quae incipit fol. 66 post Kalendarium, contineat librum *qui appellatur Manuale* (cf. cod. V) et diserte ac rectius in alio cod. Z inscribitur: « *Incipit Liber Manualis secundum institutionem Ambrosianae ecclesiae* ».

Paucis praelibatis de universis libris liturgicis ambrosianis, nunc de singulis codicibus ad hanc editionem parandam collatis, aliquid dicam.

I. — DE MANUALI AMBROSIANO SAEC. XI, OLIM ECCL. S. VICTORIS VALLIS TRAVALIAE, NUNC CAPITULI METROP. MEDIOL.

Archetypon huius nostrae editionis est codex, olim 2102, in Bibliotheca V. Capituli Mediolanensis Ecclesiae; hunc designavi littera *R*, qua in notis criticis ad Missalis ambrosiani editionem typicam usus est cl. v. Ant. Ceriani, quem secutus sum in delectu siglarum pro aliis codicibus collatis, paucis exceptis.

Aetas codicis iudicio virorum peritorum in liturgica paleographia est saec. XI., licet ignota manus in charta interioris tegumenti haec scripserit:

> « Breviarium seu Antiphonarium Ambrosianum, quod fuit olim Canonicae Vallis Travaliae, et scriptum videtur circ. an.D. 1152 quin et antiquius reputari potest ».

Rationem, qua aetas codicis statuitur circa annum 1152, non video, nec ulla nota in codice suppeditat; imo paucitas officiorum pro festis Sanctorum antiquiorem aetatem suadet, ita ut crederem, Muratorium ad fidem suprascriptae indicationis bibliographicae asseruisse (A. M. Æ. t. IV, c. 843) quod codex noster, quem ipse *Antiphonarium* vocat, fuit scriptus circiter anno 1150.

Origo codicis confirmatur melius per notam in calce fol. 288, manu saec. XIII scriptam:

« Iste Manualis est ecclesiae sancti Victoris:
qui fecit hoc opus a Deo sit benedictus. »

quae probabilius conscripta fuit antequam in ecclesia Sancti Victoris Vallis Travaliae, in pago Bederi ad Verbanum in Comitatu Sepriensi dioecesis mediolanensis, canonicorum collegium institueretur, alioquin legeretur: *est canonicae*. Sed non hic immorandum licet haec nota historiam plebis Travaliae attingat.

Codex est membranaceus, foliorum 296, formae min. (0,^{m}265 × 0.180) lineis plenis una manu nitide exaratus, grandiusculis characteribus servatis in orationibus et hymnis. Rubro colore usus est amanuensis ad ducendos titulos, litterasque capitales initio orationum et hymnorum describendas. Secunda manus, ad singula folia in verso, numerationem litteris romanis appinxit; ex qua constant duae lacunae: una foliorum sex inter ff. 277 et 278 novissimae numerationis in recto; alia duorum foliorum ante f. 286.

En index huius codicis:

f. 1 (insiticium): in recto legitur num. « 2102 » antiquae numerationis codicum Biblioth. Capituli Metrop.; in verso fragmentum instrumenti venditionis.

f. 2.^{v} Incipit Psalterium, cui more ambrosiano praeponitur hymnus *Te Deum*.

f. 60.^{v} *In Christi nomine, incipit Martyrologium*, idest Kalendarium.

Post fol. 65^{v}, incipit *Manuale Ambrosianum* proprie dictum, hoc ordine distributum:

ff. 66-75. Proprium Sanctorum, a vigilia S. Martini, ad festum S. Thomae Apost., XXI mensis dec.

ff. 75ᵛ - 108. Proprium de Tempore, *a Sabb. ante Domin. de Adventu,* ad *Dom. V post Epiph.*

ff. 108-116. Proprium Sanctorum, a die XX men. januarii, ad Septuagesimam.

ff. 116-185, Proprium de Tempore, a *Dominica in Septuagesima,* ad *Sabb. post Pentec.*

ff. 185-227. Proprium Sanctorum, a die XII mensis mart., ad diem IV mensis nov.

ff. 227'-241'. Commune Sanctorum.

ff. 242-255. Commune Dominicarum, cum indice antiphonarum et ℟℟ pro Dominicis a Pentecoste usque ad Adventum.

ff. 255-263. Commune Feriarum.

ff. 263-266. Commune Horarum et Completorii.

ff. 266-268'. Propria Horarum.

f. 268'. *Incipit* (ordo) *ad aquam sanctam faciendam.*

f. 269'. *Incipit ad cathecumenum faciendum.*

f. 273. *Incipit ad baptismum gravitalem,* nempe in casu necessitatis extra tempus paschale.

ff. 274-276'. *Incipit ordo qualiter debet* (sacerdos) *dare poenitentiam:* mutilus in fine, deficientibus sex foliis deperditis.

ff. 277-282. Sequitur ordo in agenda mortuorum, mutilus in principio; sed quae desunt, in editione characteribus minoribus supplentur, desumpta a cod. ambr. *T. 96.* In codice nostro nonnulla accedunt, quae desiderantur in aliis Manualibus:

ff. 282-284'. Formulae ad *Iudicia Dei,* sive *Purgationes vulgares,* ut aiebant, quarum excerpta nonnulla dedit iam Muratorius, in A. M. Æ., t. III, diss. XXXVIII, *De Iudiciis Dei,* etc.; quae formulae, cum minime ad genuinam Liturgiam Ambrosianam pertineant, sed superstitiose fuerint privata auctoritate usurpatae et in codices liturgicos relatae, in hac editione edentur characteribus minoribus.

f. 285. Benedictionum formulae ad barbam et capillos incidendum, ad incensum, et « ad omnia ».

Post lacunam duorum foliorum deperditorum, quinque homiliae in Evangelia, pro festis Apostolorum, Martyrum, etc., in tribus lectionibus distribuendae ad Matutinum, quarum initia et fines hic subnectere sufficit, utpote quae, iam alias editae in Patrum operibus, et privata auctoritate in codice nostro insertae, (1) parum vel nihil conferant ad notitiam ambrosianae liturgiae, quarum lectiones, in propriis codicibus sive lectionariis, reperiendae sunt.

f. 286. *(In natali Apost.)*. In illo temp. Dixit Ihesus discipulis suis: Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Maiorem hanc dilectionem *(sic)* nemo habet, ut animam suam ponam quis pro amicis suis: et reliqua. *(Homelia. Inc.)* Dum cuncta sacra eloquia dominicis plena sunt praeceptis, quid est quod de dilectione quasi de singulari mandato Dominus dicit. *(Des.)* Virtus ergo caritatis ut invicta sit in perturbatione, nutriatur per misericordiam in tranquillitate, quatenus omnipotenti Deo primum discat sua impendere, postmodum se. Qui cum Patre. (Ed. *Migne P. L. t. 76, p. 1205, inter Opp. S. Greg. Pp. hom. 27 in Evang.*).

f. 287'. *In natali unius Martyris.* In illo tempore. Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me: et reliqua. *(Inc.) Homilia.* Quia Dominus ac Redemptor noster novus homo venit in mundo, nova praecepta edidit mundo. *(Des.)* Ego quidem a memetipso extinctus sum, quia carnaliter vivo. (Ed. *Migne P. L. t. 76, p. 1232, inter Opp. S. Greg. Pp. hom. 32 in Evang.*).

(1) Si excipias lectiones in natali Confessorum, easdem reperies in Breviario Romano, in Communi Sanctorum; non tamen dicerem a liturgia romana mutuatas: sed quaestionem doctioribus relinquo.

f. 288'. *In natali plurimorum Sanctorum. Evang.* In illo tempore. Dicebat Dnus Ihesus discipulis suis: Cum audieritis praelia et seditiones, nolite terreri, et reliqua. *(Inc.) Homelia. Sup.* (?) Dominus ac redemptor noster perituri mundi percurrentia mala denuntiat, ut minus perturbent venientia quae fuerint praescita: minus enim iacula feriunt, quae praevidentur. *(Des.)* Et quot prius in mundo incolumes habuimus gaudia, tot de ipso postmodum cogamur sentire tormenta. (Ed. *Migne P. L., t. 76, p. 1259, inter Opp. S. Greg. Pp. hom. 35 in Ev.*).

f. 290. *In nat. Confessorum. Hom.* In illo tempore. Dixit Ihesus discipulis suis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis: et reliqua. *(Inc.)* Audistis, fratres charissimi, ex lectione evangelica eruditionem vestram; audistis ex lectione evangelica *(sic)* periculum vestrum: Ecce enim is qui non excidenti dono, sed essentialiter bonus est, dicit: Ego sum, etc. *(Des.)* Sed contra haec mercenarius nullo fervore dilectionis excitatur: qui sola exteriora commoda requirit, interiora gregis damna negligenter patitur. (Ed. *Migne P. L. t. 76, p. 1127, inter Opp. S. Greg. Pp. hom. 14 in Ev.*).

f. 291'. *In natali Virginum. Homelia. Evang.* In illo tempore. Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis. Simile est regnum caelorum decem virginibus, quae accipientes lampades suas exierunt obviam sponso et sponsae: et reliqua. *(Inc.) Homelia.* Saepe, fratres karissimi, admoneo prava opera fugere, mundi huius inquinamenta devitare; hed hodierna sancti evangelii lectione compellor dicere, etc. *(Des.)* Sed soli ad sponsum cum oleo veniunt, qui de his quae foris egerint gloriam intus requirunt. (Ed. *Migne P. L. t. 76, p. 1118, inter Opp. S. Greg. Pp. hom. 12 in Ev.*).

Ad haec accedit fragmentum unius ex epistolis S. Ioannis Apostoli et Evangelistae.

f. 293. et seqq. *(Inc.) Epistola sci Iohannis Apocalipsis* (sic). Quod fuit ab initio, quod vidimus. *(Des.)* in Deo manet et Deus in eo.

Haec est Epistola I, mutila in fine (ad v. 16, c. IV) ubi codex noster desinit. Textus est ipse Vulgatae editionis, exceptis variantibus lectionibus seqq.:

c. I, 3. et annuntiamus. 4. Et haec scripsimus *vobis* (*2. ma.*) ut gaudium nostrum. 5. Et haec annunciatio. 6. non facimus veritatem. 9. Si autem.... et mundet nos.

c. II, 5. est: in hoc scimus. 8. quod est verum.... quoniam tenebrae.... et lumen verum. 10. in luce permanet. 11. quoniam tenebrae. 13. quia ab initio est. 14. in vobis manet. 16. et in concupiscientia oculorum est, et superbia vitae esse *(sic)*. 17. transibit. 18. venit, nunc autem. 19. prodiderunt. 21. Non scribo. 22. nisi his qui negant, quoniam Ihesus non est Christus? 23. qui autem confitetur. 24. permanet.... ab initio audistis. 26. quae seducunt. 27. habeatis.... doceat vobis.... de ovibus.... manere.

c. III, 1. qui non novit. 3. spem hanc. 5. quoniam.... peccata tolleret. 6. et non peccat. 8. *ex (2 ma.)* diabulus est. 11. haec annunciatio. 12. Cain ex.... propter quod.... autem iusta. 14. in vitam.... et qui non diligit. 15. in se manentem. 16. pro nobis animam suam.... pro fratribus nostris animas nostras. 18. nec lingua.... et virtute. 19. cognovimus. 22. quodcumque.... quae placita coram eo sunt. 24. et hoc scimus.

c. IV, 1. ex Deo sunt. 7. diligamus invicem, quoniam. 8. cognovit. 11. Carissimi, sicut dilexit nos. 16. Et cognovimus.

In hac editione Manualis Ambrosiani saec. XI, communes et manifesti errores scripturae correcti sunt: nec aetas codicis rigorem diplomaticae, ut aiunt, editionis suadebat, cum mens mea sit parandi editionem expeditiori omnium usui profuturam; attamen orthographia nominum servavi, et, ubi dubium aliquod quoad interpretationem textus poterat exurgere, ipsam erratam lectionem textus in notis diligenter adnotavi, vel in textu addita nota *(sic)* retinui.

II. — DE CODICE METROPOLITANO SAEC. XIII. BEROLDO NOVO.

Inter ambrosianos codices collatos in hac editione paranda, codex metropolitanus saec. XIII, in notis litt. *M* designatus, primum locum, non antiquitate, sed auctoritate tenet, quem diligenter alias descripsi in Praefatione ad Beroldum (Magistretti, *Beroldus sive Eccl. Ambr. Mediol. Kalend. et Ordines saec. XII.* Mediol. 1894, cf. pp. XXI et seqq.), est enim exemplar locupletissimum Manualis ambrosiani perpetuo usu Capituli metropolitani commendatum, ideoque authenticus testis a quo dignosci possunt si quae a genuino ritu discrepent in cod. *R* saec. XI a me edito: attamen, si excipias leves variantes in ordine orationum vel antiphonarum et similium, diligenter in notis recensitas (quas, ut in similibus accidit, arbitrio amanuensium serioris aevi invectas puto) lector cognoscet codicem *R* cum codice *M* plane convenire. Codex iste metropolitanus insuper suppeditat seriores officiorum et rubricarum additiones factas antiquissimo Manuali saec. XI, suis locis in notis apte distributas sequendo ordinem Manualis ecclesiae metropolitanae, ita ut una editione vere duorum codicum textus habeatur.

Quin repetam iam dicta in Praefatione ad Beroldum, iuverit tamen denuo recudere summarium codicis metropolitani, omissis additionibus secundae manus et aliis a ratione *Manualis Ambrosiani* proprie dicti alienis, alias (*o. c.*) iam recensitis.

f. 1. *Hymnus* Te Deum laudamus.

f. 1'. *Incipit liber psalterii, etc.*

f. 67'. *Hymnus ss. Virginis Mariae, qui canitur omni die ad vesperas, nisi in diebus veneris de Quadragesima et in Authentica.*

f. 69. *In nomine sanctae et individuae Trinitatis: Incipit liber Manualis de universis festivitatibus et dominicis*

et singulis diebus, tam de matutinis, missis, vesperis et vigiliis totius anni, secundum institutionem sanctissimi ac venerabilis patris nostri Ambrosii Mediolan. Archiepiscopi.

(Ordo officiorum est ipsissimus cod. *R*, exceptis additionibus in notis diligenter relatis).

f. 328. *Incipit ordo officii ad cathecumenum faciendum.*

f. 331. *Oratio ad benedicendam aquam, seu ad sanctificandam illis pueris, qui infirmantur ad mortem ut ad paschale baptismum pervenire non possint.*

f. 332. *Incipit ordo officii qualiter fieri debet manus impositio super infirmos* (Hic ordo cum seqq. infra est editus inter Excerpta cod. *M*.).

f. 336. *Incipit commendatio animae, quando anima egreditur de corpore.*

f. 338'. *Incipit ordo officii sepeliendi corpora mortuorum.*

f. 341. *Incipit ordo officii mortuorum.*

f. 347'. *Incipit ordo officii ad aquam benedictam faciendam.*

f. 349. *Hymnus ad pluviam postulandam.*

f. 350. *Hymnus ad serenitatem poscendam* (Uterque hymnus est editus inter Excerpta cod. *M*).

f. 351. *Expositio matutini officii mediolanensis ecclesiae, edita a Theodoro eiusdem ecclesiae Pontifice* (quae, iam typis vulgata a Petro Casola ordinario Eccl. Mediol. ad calcem Brev. Ambr., anno 1490, nunc denuo editur infra inter Excerpta cod. *M*).

f. 388. Off. in *Feria VI infra Albas* (editum in notis vol. III, p. 223).

f. 426. *Incipit Martyrologium Bedae presbyteri* (Kalendarium) *secundum ambrosianum morem.*

III. — DE FRAGMENTIS TRIUM MANUALIUM SAECC. X-XI.

De Fragmento Manualis Lodrini in Helvetiis. Est codex membr. saec. X-XI, acephalus, ff. 91, bonae conditionis (0,25 × 0,16), lineis plenis una manu exaratus et in Bibl. Ambr.

asservatus, sign. SH. IV. 44, quem in hac edit. littera *Q* designavi. Circa aetatem huius codicis paleographi non convenerunt: nonnulli saec. XII illum conscriptum automarunt; sed ex intrinsecis indiciis clar. Doct. A. Ceriani, cuius in re iudicium maximi ponderis sequendum duxi, eum saec. X-XI tribuit. De origine huius codicis, quem parochus Lodrini an. 1882 dono dedit Bibliotecae Ambrosianae, satis non liquet: attamen ex quatuor notis, quas annis 1448 et 1451 in margine codicis conscripsit Presbyter *Martinus de Falchis de Ludrinio, capellanus seu benefitialis capellae S. Antonii de Zornicho* (cf. in *Bollettino Storico della Svizzera italiana,* Bellinzona, 1902: pag. 164), constat saltem a saec. XV in Pago Lodrini Manuale istud ad usum liturgicum adhibitum fuisse; licet ex officio pro festo ss. Stephani et Zachariae (f. 42') quod deest aliis Manualibus *R* et *U,* et teste Guifredo de Buxero (n. 461) erat proprium basilicae S. Stephani *ad rotam* Mediolani, suspicari liceat codicem exaratum fuisse in usum praefatae basilicae, vel saltem ex alio codice ad ipsam pertinente depromptum fuisse. Codex, licet lacunosus, ordinem Manualis *R* tenet, uti patet ex seq. indice:

ff. 1-9. A baptismate Sabb. s., ad Dom. I post Albas.
ff. 10-52. A festo Annunciationis, ad festum diei VII nov.
ff. 52-63'. Commune Sanctorum.
ff. 63'-64'. Hymni ad pluviam et ad serenitatem petendam.
ff. 65-71'. Commune Dominicarum.
ff. 71'-79. Proprium dominicale a Pentecoste ad Adventum.
ff. 79'-86. Commune Feriarum.
a f. 86' ad finem. Epistolellae et ℟℟ ad Horas minores.

Aliud fragmentum Manualis Ambrosiani saec. X-XI, in notis meis littera *S* designatum, suppeditavit Bibliotheca cl. Marchionis Trotti mediolanensis. Est codex membr. signatus n. 414; lacunosus, licet bonae conditionis, constat ff. 57 minoris formae (0,20 × 0,15) una scriptura nitide et lineis plenis exaratis, in quibus reperiuntur non integra officia, sed partes quae occurrunt:

ff. 1-32. a Dom. IV Adv., ad Dom. V post Epiph.
ff. 32'-43. a die XX jan., ab diem XV febr.
ff. 43-55'. a Dom. in Septuag., ad Sabb. hebd. I Quadrag.
ff. 56-57. Communis feriarum II et IV.

Codicem hunc specialiter commendant aetas et initia lectionum, quae in aliis Manualibus serioribus raro inveniuntur: hinc patet, quod, iam saec. X *Capitularium* usus obsoleverat (alioquin in Manualibus non tantum initia sed etiam fines lectionum reperirentur) et statutae lectiones in codicibus propriis, non in Bibliis, descriptae haberentur: quod evidentius probatur *Evangelario* saec. IX, olim in ecclesia metropolitana pro sacris solemnibus adhibito, nunc in Bibl. Ambr. asservato (cod. membr. sign. *A 28 inf.*), de quo disseruerunt Bugati, *Memorie di S. Celso,* p. 96 et seqq., Mazzucchelli, *Osservaz. sopra il Rito ambr.*, p. 79, et Dozio, *Opuscoli liturgico-ambrosiani*, Milano 1853, Append. I, p. 116.

Tertium Manualis Ambrosiani fragmentum saec. X-XI, littera *T* in meis notis designatum, item mihi praesto fuit in Biblioteca Ambrosiana. Est codex signatus *T 103 sup.,* membranaceus minoris formae (0,22 × 0,45) diversis manibus exaratus, in aliquibus foliis poene evanidus et saepe lacunosus, quem P. S. Bäumer (*Geschichte des Breviers,* p. 614) saec. XII conscriptum iudicavit; sed circa aetatem huius codicis, ex intrinsecis notis textus liturgici et paleographicis, sententia cl. Doctoris A. Ceriani praeferenda est, quaeque confirmatur auctoritate Patrum Solesmensium, D. A. Mocquerau (in *Ambrosiana,* Mediolani 1897; fasc. IX, p. 47) et D. P. Cagin (in *Paléographie Musicale,* t. V, p. 2).

In codice *T* ante fragmentum Manualis plura alia continentur, quorum indicem sufficiat hic habere.

ff. 1-6. *Incipit traditio Catholicae Fidei. Interr.* Quid est fides? ℟ Fides est credulitas illarum rerum quae non videntur; ut illud Apostoli: Est fides sperandrum, etc. *(sic)* mutilus, desinit ad verba: « *Int.* Et quare descendit? Ut qui detinebantur ab inferno eriperet ».

ff. 7-10'. Expositio dominicae orationis; acephala incipit per verba: « essemus cinis et pulvis, et non essemus digni ut diceremur servi Dei, tantam potestatem nobis dedit ut vocemur et simus filii Dei. *Int.* Quare non docuit nos Dominus dicere Pater meus, sed Pater noster?... *(des.)* oportet semper orare, ut Deus solita pietate non permittat nos induci in temptationem, sed potius liberet ab omni malo ».

ff. 10-13'. Sequitur alia expositio symboli, quae sic incipit: « *Incipit traditio symboli.* Quomodo vocatur haec doctrina fidei? ℟ Symbolum. *Int.* Symbolum autem graeca lingua dicitur an latina?... *(des.)* Aeternam dicit: quia semper fuit, est, erit. Amen vero hebreus sermo est; latine dicitur vere fideliter, sive fiat ».

ff. 13'-20'. « *Incipit expositio Missae Canonicae* ». Est brevis expositio litteralis Canonis Missae ambrosianae; sed mutila in fine desinit ad verba: « *et sacrificium patriarchae nostri* ». (Haec expositio, sicuti et *Traditio Catholicae Fidei,* qua codex exorditur, in multis convenit cum opusculis similibus, in Beroldi codice ambrosiano sign. I, *152, inf.* (ff. 133 et 140) descriptis.

f. 21. In compactione huius codicis, octo foll. Manualis hoc loco posita fuerunt, quae in fine amandanda erat: continent enim fragmenta Communis Dominicarum et Feriarum.

f. 26'. Post Commune Vesp. Sabb., diversis manibus addita sunt seqq.:

« *Oratio ad ferrum sanctificandum.*

« *Rythmus de calvis:* « Quiddam, clari seniores, facili sermuncolo » etc.

« *Benedictio crucis* » (v. Excerpta cod. *T*).

f. 29. Incipit Manuale Ambros.; sed initio, deperditis quatuordecim paginis, alia manus saec. XIII-XIV supplevit officia propria a Vigilia S. Martini ad Missam S. Andreae Ap.; deinceps a fol. 35 prima manus recurrit usque ad finem, p. 151'; sed fol. 131 assutum

alia manus saec. XI exaravit, in quo propria officiorum S. Bartholamaei et Nativitatis Scae Mariae; ex hac additione bene comprobatur antiquitas huius Manualis, cuius ordo ita in compendium referri potest:

ff. 35-39. Proprium Sanctorum a *psallentio* in festo S. Andreae, ad Sabb. Adv.

ff. 39'-74'. Proprium de Tempore a Dom. I Adventus, ad Dom. V post Epiph.

ff. 74'-81. Proprium Sanctorum, a die XX jan., ad diem *XXIIII* (sic) *martii*.

ff. 81'-121'. Propr. de temp., a Dom. in Sexagesima usque ad Sabb. post Albas.

f. 122. Fragmentum officii Tridui Litaniarum.

f. 123. » officii Pentecostes.

ff. 123'-142. « *Incipiunt orationes de nataliciis Sanctorum. In primis XII die men. martii*: *sci Gregorii Pp.* etc. repetendo propria off. mensis martii in foll. 80-81 conscripta: haec pars, deperditis nonnullis foliis, est lacunosa.

ff. 142-151. Commune Sanctorum, mutilum in fine ad hymnum in natali Virginum.

Sane dolendum quod iniuria temporis et hominum perdita sit magna pars huius codicis, quem antiquitas valde commendat.

IV. — DE MANUALI AMBROSIANO SAEC. XII OLIM ECCL. S. VICTORIS AD THEATRUM MEDIOLANI.

Hoc Manuale, quod in meis notis sigla *U* recenseo, est codex nunc in Bibl. Ambrosiana asservatus sub sign. *A 1 inf.*, quo usus est I. P. Puricellius, qui a rectore ipsius ecclesiae mutuo acceperat, ut in *Dissert. Nazariana* (c. LXV, p. 349, n. X) ipse testatur, et aliunde constaret ex notis topographicis, quas in margine officiorum Tridui Litaniarum ipse Puricellius appixit. Codex iste, membranaceus, saec. XII,

formae mediae (0,27 × 0,19), bonae conditionis, sed aliquibus foliis mancus, inscribitur: « *In nomine s. Trinitatis incipit* Antiphonarium *de universis festivitatibus anni circuli Mediolanensis ecclesiae* », sed iure dici debet *Manuale,* nam, ut supra dixi, appellativum *Antiphonarium* potius convenit codicibus ad cantum paratis.

Hoc Manuale, ut patet ex scriptura et ex officiis Cathedrae, s. Gregorii, s. Benedicti et Annunciationis, quae bis occurrunt primo ante Septuagesimam, et secundo post Sabb. Pentecostes, est conflatum fragmentis saltem duorum codicum saec. XII, quorum primum a fol. 1 ad fol. 119, alterum a fol. 144 ad fol. 358., quibus tertia manus sed coaeva supplevit officia a fol. 120 ad fol. 143: tria folia postrema, manu recentiori exarata fuere. Ante compaxionem, quae est satis recens, perierunt folia, quae intercedere debuissent inter fol. 78 et 79 et fol. 310-311 novae numerationis, pro officiis a Dom. III post Epiph. ad festum s. Sebastiani, et pro communi Sanctorum. His praenotatis, notae secundae manus ad *Vigilias* in festo s. Andreae, quod solemniter peragebatur tantum vel a clero metropolitano vel a clero basilicae Ambrosianae, licet non infirment aliam notam quae in calce codicis legitur: « *Iste liber est ecclesiae s. Victoris ad Theatrum portae Vercellinae Mediolani* » indicant, quantum video, quod saltem primum fragmentum, ubi officia s. Andreae fuit excerptum a codice qui in usum vel ecclesiae metropolitanae, vel basilicae s. Ambrosii Maioris erat, antequam perveniret ad ecclesiam s. Victoris; quod auctoritatem codicis certe quoad primam partem confirmat.

Huius Manualis transumptum dedit Mabillon (in *Mus. Itat.,* t. I, p. II, pag. 107. n. XV) ex quo Georgi, in Praef. ad Martyrologium Adonis, p. XXI plura exscripsit; sed ut opportune iam notavit Bugati (*o. c.,* pag. 8, n. XI) in eodem transumpto desideratur notitia nonnullorum officiorum, quae in cod. *U* suis locis, uti in codice *R* a me edito, extant; ex. gr., Mabillon omisit festa Translationum s. Nazarii (X maii) et s. Victoris (XIV maii).

Ordo Manualis est ille communis ceteris Manualibus, uti facile patet ex seq. summario:

ff. 2-21. Proprium Sanctorum, a festo s. Martini, ad festum s. Thomae Apost.
ff. 21-78. Proprium de tempore, a Sabb. I Adv., ad Dominicam IV post Epiph. exclus., quae deperditis foliis, exulavit cum nonnullis aliis off.
ff. 79-93. Proprium Sanctorum, a festo s. Sebastiani, ad Annunciationem incl.
ff. 93-209'. Proprium de tempore, a Septuagesima ad Sabb. Pentecostes.
ff. 209'-293. Proprium Sanctorum, a festo Cathedrae, ad s. Martinum excl.
ff. 291'-314. Commune Sanctorum.
ff. 314-328. Commune Feriale.
ff. 328-346'. Commune et Proprium Dominicarum post Pentecosten usque ad Adv.
ff. 347-353. Litaniae post Tertiam in Triduo de Exceptato, et Feriis IV et VI Quadragesimalibus.
ff. 353'-359. Proprium de tempore ad Horas minores.
f. 359 ad fin. (ma. saec. XIV-XV). Officium Primae, et Orationes ad Completorium quotidianum.

In marginibus huius codicis, passim, diversis et quidem recentioribus manibus saecc. XIV-XV appictae fuerunt nonnullae rubricae ad dignoscendam praxim in officiis ordinandis valde utiles, quibus in brevi expositione de *ordine officiorum* aliquando usus sum; attamen cum in notis ad Manuale cod. *R* easdem pro meo instituto non retulissem, huc in unum colligere duxi, ut conferantur cum rubricis cod. *M* in iisdem notis allatis, quas tantum perpetuus usus ecclesiae metropolitanae mihi specialiter commendat.

Sabb. I Adventus. (f. 21) *ad Vesp.* « Quaere in sabbato de communibus feriis. Antiphonas et psalmos dic sicut in aliis sabbatis, praeter illud quod hic habet de proprio ».

Dom. I Adv. (f. 22) « Amodo non dicitur Gloria in excelsis ad Missam ».

Fer. II, III, IV de Exceptato (f. 41). « In istis tribus diebus letaniae fiant. Require retro *(sic)*. Nota quod in istis tribus diebus finitur Vesperum cum XII k. k. k. post orationem de Magnif. ».

(f. 44) « Iste hymnus *(Intende qui regis)* dicitur per totam octavam *(Nativ. Dni)* ad Matutinum *(intellige Laudes)* et ad Vesperum. | et in octavis Sanctorum (*idest dieb. 2, 3, 4 et 5 jan.*) nisi habetur proprius et usque ad Epyphaniam | Si fuerint duo vesperi dicitur ille Sanctorum proprius ».

Ad diem II. febr. (f. 85') *ma. saec. XV. init.* « Si hoc festum venerit in die dominica debet dici de festo et non de dominica quia est festum Domini ».

Ad Laudes sing. feriarum quadrag. al. ma. saec. XV supplevit initia ℣℣ 8 psalm. 118, *cum sua ant.*

Ad fer. II hebd. I quadrag. ante tect. Genesis (f. 99') « *Ad III epist.* Ecce nunc tempus ».

Ad ferias IV et VI quadrag. ante Lect. Genesis in marg. ma. saec. XIV posuit rubr. « Letaniae ».

(f. 104') « Nota quod in istis quatuor diebus dominicis, vlz. Samaritana, Abraham, Caeco et Lazaro ad lectiones *(matutini)* non dicitur: *Tu autem, Domine, nostri miserere*, nisi in ultima lectione; quia cantantur tono pasionabili » *(sic)*.

Ad fer VI hebd. V quadrag. (f. 127') « Nota quod in hac feria *(ad matut.)* leguntur Lamentationes Ieremiae, et non dicitur: *Tu autem, Dne, nostri miserere,* nisi in tertia lectione ».

Ad Sabb. in traditione symboli (f. 128') Hic *(ad lect. matut.)* non dicitur: *Tu (autem) Domine, nostri miserere,* nisi in tertia lectione ».

Ad Dom. in ramis olivarum (f. 130): « Hic cantantur lectiones *(ad matut.)* tono cotidiano, et dicitur: *Tu autem, Domine, nostri miserere* non (?) ad omnes lectiones *(sic)*.

Ibid. ad Laud. « Hodie non dicitur nisi tantum una oratio post *Benedicite* ».

Ad fer. II in Authentica (f. 134) « Ad lectiones *(matut.)* nota quod per hanc hebdomadam non dicitur: *Tu autem, Dne, nostri miserere,* sed reiteratur versus, nisi in ultima.... *(sic)* dicitur: *Tu autem Dne:* et cantantur sicut in dominicis praeteritis. — Nota quod non dicitur *Benedictus Dnus* per hanc ebdomadam, sed finita ultima lectione incipitur oratio secreta ».

Ibid. ad orat. in Laudibus. « Istae orationes dicuntur ad tertiam, sextam et nonam: et sic fit per ebdomadam in aliis feriis ».

Ibid. (fol. 134') « Matutina (*Laudes*) istius ebdomadae finiuntur post hymnum statim cum XII *Kyr.*, ut moris est, praeter in Sabbato sancto, quia non dicitur *K. k.* ». « Nota quod dicitur tantum *In iniquitatibus* (*idest Laud. Defunct.*) usque ad feriam quintam incluxive *(sic)* ad Matutinum mortuorum ».

Ibid. ad Vesp. « Nota quod in istis feriis vl. II, III, IIII, finitur vesperum cum XII *Kyr.* post orationem psalmi: et in istis non dicitur *(ps. 133 cum 116) Ecce nunc benedicite Dominum.* — Non dicitur *Magnificat* per hanc ebdomadam nisi in Sabbato sancto ».

Ad Vesp. Fer. V in Coena Dni (f. 140) « Finitur cum tribus *K. k. k.* post orationem ».

Ad Matut. Sabb. s. (f. 148') « Nota quod in antiphonis duplis.... *(sic)* mittuntur duo versus ultimi loco *Gloria Patri et Filio et Spiritui* ».

Ad Laud. Sabb. s. (f. 150') « Non dicitur *Gloria in excelsis Deo* ».

Ad Dom. S. Paschae (f. 157') « Istae orationes (*ad Laud.*) dicuntur per totam octavam ».

Ibid. « Ista oratio *(I ad Laud.)* dicitur in dominicis diebus usque ad Pentecosten cum sequentibus ».

Ibid. ad Vesp. (f. 159) « Istae orationes dicuntur usque ad Pentecosten, nisi alia rubrica habetur, vz. in diebus dominicis » (*sic*).

Ad Laud. Fer. II in albis (f. 160) « Istae orationes quae habentur per has ferias dicentur in feriis paschalibus usque ad Pentecosten ».

Ad Fer. II post albas ad Laud. (f. 174') « Dicuntur orationes secretae de feriis communibus ».

Ibid. ad Vesp. (f. 175) « Nota quod debent dici psalmi et Ant. [cum *All.* (*add. al. ma.*)] de feriis, et orationes de paschalibus. *In diebus meis invocabo*, etc. *All.* ps. *Dilexi quia audiet* ».

Ad diem I Litaniar. (f. 183') « In istis tribus diebus letaniarum dicuntur matutini et vesperi et alia divina de communi feria, et die primo et secundo finitur Vesp. cum XII *Kyr.* post orationem de *Magnificat:* tertio vero finitur cum tribus ».

Ad Vesp. fer. IV Litaniar. (f. 204) « Hodie finitur Vesperum cum tribus *K. k. k.* post orationem de *Magnif.* ».

Ad hymn. Pentec. (f. 205) « per octavam ».

(f. 209') Suppletur in marg. ordo Vesp. pro Fer. II et III Pentecostes, et proprium off. Cathedrae S. Petri.

(f. 233') Suppl. in marg. ordo *Vesp. II* Nativ. S. Io. Bapt.

(f. 273) Suppl. in marg. ordo off. proprii Nativ. B. M. V.

Ad fest. Exalt. S. Crucis (f. 273) « Omnia alia *(praeter orationes proprias)* sicut in inventione habentur, tam ad Vesperum quam ad Matutinum ».

f. 280) « Nota quod in Sabbatis post Dedicationem dicitur *(ps. 118) Beati immaculati* usque *Ad Dominum cum tribularer* (ps. 119) usque ad sabatum olivarum inclusive dicitur » (*sic*). Intellige quod unoquoque sabbato temporis hyemalis dicitur integer psalmus 118.

(f. 314 et seqq.) In officio feriarum communi ad Laudes post ps. *Miserere* ponuntur tres Orationes (sicut et nunc leguntur in feriis quadragesimalibus) et in margine (f. 314) legitur seq. rubr. « Hic dicitur bis *Dominus vobiscum* et postea *Ne quis cathecumenus.* Oratio I..... *Ne quis cathecumenus.* Sine *Dominus (vobis.)* oratio II.... *Ne quis cathecumenus.* Sine *Dominus (vobis.)* orat. III.... »

Item in singulis feriarum Laudibus (exceptis feriis V et VI) ponitur ℟ graduale, de quo in fer. II (f. 314) legitur: « Hoc ℟ non dicitur in capelis (*sic*) idem (*sic*) est in aliis feriis ».

f. 328 et seqq.) In communi Laudum pro Dominicis a Pentecoste ad Domin. III post Dedic. ponuntur tres orationes (ut in hodierno officio quadragesimali) post *Benedicite*.

NB. Litaniae pro tribus Feriis de Exceptato, et Feriis IV et VI quadragesimalibus, ponuntur in calce huius codicis, ut supra notavi.

V. – DE MANUALI AMBR. SAEC. FERE XI. OLIM ECCLESIAE CISNUSCULI.

Codex in meis notis littera *V* distinctus, nunc in pluteis ambrosianis signatus *I 55 sup.*, est ipse quem Muratorius (*A. M. Æ.*, t. IV, c. 840) his verbis recensuit: « Adservat « Ambrosiana Bibliotheca antiquum codicem saltem ante « annos sexcentos, uti mihi videbatur, manu exaratum cum « hoc titulo *Manualis* (sic) *de singulis Dominicis seu Festi-* « *vitatibus in circuitu anni* ». Ex intrinsecis caracteribus textus liturgici iudicium Muratorii cl. Doct. A. Ceriani confirmavit, qui insuper in suis schedis sive commentariis in Missale Ambrosianum hunc codicem affirmavit exaratum *saec. fere XI.* Titulum Muratorius ex rubrica quae occurrit, post Psalterium, in fol. 96 desumpsit.

Codex est membranaceus, ad instar Breviarii, foliorum 293, minoris formae (0,24 × 0,15), bonae conditionis, tenui et densa scriptura, lineis plenis et una manu exaratus, cum ullis rubricis, et litteris initialibus tum rubris tum caeruleis, ex quibus capitales non ineleganter ornatae ad singulas partes Psalterii, initio Manualis, et ad officium Sabbati sancti.

Notae 2 ma. appictae in calendario, quod initio prostat sed mutilum, deest enim mensis januarius, nos docent ali-

quando hoc Manuale adhibitum fuisse in ecclesia Cisnusculi (Cernusco): *annuale in ecclesia de Cisnuschulo;* quantum enim scio duobus pagis in Dioecesi mediolanensi hoc nomen convenit quod in antiquissimis documentis ante saec. XI etiam scribitur *Cixinusculum,* qua forma adhuc occurrit in chartis saec. XIV, ex. gr. in *Notitia Cleri Mediolanensis de anno 1398* (edita in *Archivio Storico Lombardo*, an. 1900) ubi, in plebe de Grogunzola *(Gorgonzola)*, recensentur « Cappellae S. Mariae de Cisinuschulo, S. Cateline de Cerinuschulo, et S. Genesii de Cerinuschulo » et in plebi de Massallia (Missaglia) annumerantur « capellae S. Iohannis de Cisinischulo Lombardore, S. Dionisii de Cisinischulo, S. Laurentii de Cerinischulo ». Sed, quidquid sit de ecclesia in cuius usum hic codex exaratus fuit, iuverit notare eundem apprime convenire cum ceteris Manualibus supra recensitis, non exclusis codicibus metropolitanae Ecclesiae; et in notis ad codicem Vallis Travalliae nunc editum (cf. vol. III, p. 123 et seqq.) referri suis locis quod Muratorius edidit *(o. c.)* sub titulo *Ordo Ecclesiae Ambrosianae in solemni Baptismo Sabbato sancto ex antiquissimo codice ms.* Sequens summarium qualiter officia in hoc codice referantur, indicat:

f. 1. Kalendarium Ambrosianum; deest men. jan.
» 7. Hymnus *Te Deum.*
» 8. *Psalterium*, distinctis litteris capitalibus, ad Matutinum per decem ferias in duabus hebdomadis, et ad Vesperas divisum.
» 80. Hymni et cantici ad Matutinum pro Dominicis et ad Laudes quotidianas.
» 86'. Ad Horas: Commune et proprium Horarum.
» 96. *In nomine sanctae et individuae Trinitatis incipit liber qui appellatur Manualis de singulis dominicis seu festivitatibus in circuitu anni.*

Officia propria Sanctorum et de Tempore in hoc Manuali alternantur ut in praecedentibus: notatu dignus

est in fol. 145 *Ordo quadragesimalis sicuti fit in ecclesia maiori;* quem in meis notis recudendum putavi, nam editio muratoriana ordinem codicis non retinet.

» 246'. Commune Sanctorum.

» 258'. Officia pro Dominicis a Pentecoste ad Adventum.

» 270. Officium in *cottidianis diebus,* sive pro Feriis communibus.

» 278. *Incipiunt litaniae quae dicendae sunt ante Natalem Domini* (in feriis de Exceptato) *et in quadragesima.*

Ordo Tridui litaniarum suum locum tenet ante Pentecosten (f. 190 et seq.) in Proprio de Tempore.

» 283. *Incipit officium parvum B. Mariae.* Si non primum est certe exemplar antiquissimum huiusce officii votivi, quod vide infra inter *Excerpta.*

» 287. Reliqua folia usque ad finem exhibent officia pro *agenda Defunctorum.*

VI. — DE MANUALI AMBROSIANO
OLIM ECCL. PLEBANAE BRIPPII.

Ecclesia ss. Sisinii, Martyrii et Alexandri Brippii, plebana Mediolanensis metropoleos (cf. Dozio, *Notizie di Brivio e sua Pieve,* Mediolani 1858, pag. 12 et seq.) hunc codicem tenuit, quem Ambrosiana Bibliotheca nunc custodit signatum *I 27 sup.*, et in meis notis sigla *Z* designat. Originem docet nota manu saec. XIV in fol. ultimo: « Iste liber est ecclexiae sanctorum Sisinii, Martyrii et Alexandri burgi Brippii », ad quam referuntur aliae notae, diversis manibus exaratae, quas Doct. Io. Dozio edidit (*o. c.*, p. 17 et seq. in nota); aetatem vero, ut paleographica indiciia et textus indicant, circa finem saec. XII ponendam esse confirmat nota coaeva quae in folio antipenultimo legitur:

« Scriptus est autem hic liber anno ab incarnatione D. N. I. C. MCLXXXXIII, temporibus Celestini papae, (eadem manus primum scripsit *luecestini,* deinde correxit *licelestini*) et regnante Henrico imperatore ».

Codicem ambrosianum *I 27 sup.*, membran. ff. 223 formae min. (0,23 × 0,15) bonae conditionis, una manu exaratum lineis plenis, sed characteribus distinctis pro orationibus, qui exhibet partem Hyemalem Manualis ambrosiani, mihi commendat perpetuus usus ecclesiae antiquissimae et inter praecipuas plebanas mediolanensis Dioecesis, licet non ita accurate conscriptum, imo saepissime mendosum quoad textum. Ordo officiorum, quemadmodum in aliis Manualibus, est distinctus, ut patet ex seq. indice; sed non desunt additiones, quas pariter hic notandas duxi:

f. 1. *Incipit liber Manualis secundum institutionem ambrosianae ecclesiae. In primis in vigiliis sci Martini, etc.* cum officiis propriis sanctorum novembris et decembris.
» 17 insertum: add. orationes proprias s. Dalmatii.
» 26. Proprium de tempore, a Dom. I Adventus usque ad Dom. V post Epiph.
» 62 insert. 2 ma. suppl. omissa in matut. fer. V de Exceptato.
» 110'. Proprium Sanctorum ianuarii et februarii.
» 126 insert. supplet 1 ma. off. Conversionis S. Pauli.
» 125'. Proprium de tempore, a Septuagesima ad Sabbatum sanctum.
» 195 et seqq., sumpta forte ex *parte aestiva* modo deperdita, continent nonnullas partes communes officii in Laudibus et Vesperis dominicae, et Commune feriarum.
» 207. Commune Sanctorum.
» 221'. Al. ma. saec. XIV-XV exaravit Epistolellas et ℟℟ brevia ad Horas minores, pro diebus Nativit. et Epiphan.

VII. — DE MANUALI AMBR. AN. MCLXXXVIII OLIM ECCLESIAE METROPOLITANAE.

Codex iste improprie *Manuale* vocatur, cum eidem desint omnes antiphonae et ℟℟, sive propria sive communia, officii; attamen continet Psalterium, Collectarium, Hymnos, Commune et Proprium ad Horas, praeter alia etiam Calendarium, ut infra patebit. Ex aureo numero, in calce

ante calendarium, aetas codicis nempe annus 1188 constat: et eundem adhibitum fuisse in ecclesia maiori S. Mariae Mediolani, docet notitia in calendario ad diem XV iunii, ubi est memoria obitus Uberti de Tertiago archiepiscopi nostri « qui fecit fieri hunc librum »: cui notitiae concordat mentio nominis *Henrici* (nempe VI) in oratione feriae VI in Parasceve (v. f. 96) *pro christianissimo imperatore*.

Est codex membranaceus foll. 149, formae maximae (0,285 × 0,385), una manu diversis et nitidis characteribus exaratus. Initio, in Psalterio, sunt litterae maiores initiales ornatibus expressae, quarum ullae excisae fuerunt. Textus liturgicus aliquando scatet erroribus amanuensis, attamen eundem commendat perpetuus usus Ordinariorum ecclesiae Mediolanensis, quorum nonnullos recensent notae necrologicae ad calendarium diversis manibus appictae.

En summarium huius codicis, quem in meis notis littera *W* designavi.

f. 1. *Psalterium Ambrosianum.*

Litterae capitales ornatibus et coloribus distinctae, indicant divisionem psalterii usque ad psalmum 109 exclus., per decem ferias in duabus hebdomadis ad Matutinum. Similes litterae capitales indicant psalmos ad Vesperas dominicarum et feriarum communium. Alia manus aliquando in margine exaravit cum notis musicis antiphonas communes sive ad *turmas* (nocturna) sive ad psalmos vespertinos.

f. 59. Cantica communia ad Matutinum, Laudes et Vesperas.

» 63'. Commune et Proprium, ad Primam, reliquas Horas minores et Completorium.

» 70'. *Incipit ordo ad cathecuminum faciendum.*

» 73. *Benedictio aquae.*

» 73'. *Ad visitandum infirmum*, cum ordine *ad impositionem manuum super infirmum* (nempe Extremae Unctionis) et precibus *pro agonia*.

» 76. Ordo *in Agenda mortuorum*.

f. 79'. Collectarium: *Incipiunt orationes quae dicendae sunt in festivitatibus Sanctorum, sive in dominicis vel cottidianis diebus;* ubi inseruntur hymni, sive proprii sive communes.

» 125. *Incipit offitium diebus dominicis adbreviatum:* est omnium antiphonarum et ℟℟ de communi, pro dominicis a Pentecoste ad Adventum, index pro singulis dominicis digestus, ut in codice nostro *R*.

» 132. *Orationes ad officium quotidianum;* nempe orationes ad Laudes et Vesperas feriarum communium.

» 135'. *Litaniae* post Tertiam, quae dicendae sunt in feriis de *Exceptato,* et in feriis IV et VI cuiusque hebdomadae quadragesimalis, Authentica excepta.

» 141'. *Calendarium ambrosianum,* ubi ut dixi nonnullae notae necrologicae.

VIII. — DE LIBRO MONACHORUM S. AMBROSII SAECULI XI.

Ordines pro Visitatione infirmorum, et in Agenda mortuorum, quae a Manuali Vallis Travaliae exularunt, codex saec. XI mihi suppeditavit, nempe codex Bibliotecae Ambrosianae acquisitus anno 1826, signatus *T 96 sup.*, membranaceus, min. formae (0,24 × 0,17) bonae conditionis, sed acephalus, foliis 147 constans. Nota apposita in calce ultimi folii, sed manu saec. XV, fuisse olim iuris Monasterii S. Ambrosii Mediolani, his verbis indicat: *Liber monachorum S. Ambrosii.* Praeter Ordines praedictos, quos inter *Excerpta* cum varietatibus codd. metrop. *M*, et **m** edendos curavi, summarium totius codicis hic inserendum duxi, ex quo *initia* et *fines* lectionum Iob et Tobiae, necnon Passionum D. N. I. C. (1), quae adhuc leguntur in Am-

(1) Textus harum lectionum est Vulgatus, exceptis variantibus minoris momenti, quas pro ratione huius operis nunc praeterire debeo.

brosiana liturgia ad officia hebdomadae *in Authentica,* et de quibus loquutus est etiam Beroldus in suo *Ordine* (cf. ed. Magistretti, p. 100 et not. 212-214).

pag. 1, l. 3. [*Feria II, mane*][1]. *Incipit liber sancti Iob.* Vir erat in terra Hus.... quod auditum mente pertracta.

» 14. *Ad Vesp.* Respondens autem Iob dixit: Utinam.... et spes eorum abominatio animae.

» 31. *Feria III, mane.* Respondens autem Iob dixit: Ergo vos estis soli.... et scitote esse iudicium.

» 54. [*Ad Vesp.*] Respondens autem Sopharna.... tonitruum magnitudinis illius intueri? Fin.

» 72. *Feria IIII, mane. Sequitur sermo Iob.* Addidit quoque Iob assumens.... videntur esse sapientes.

» 107. *Ad Vesp. Sequitur sermo libri Iob.* Respondens autem Dominus Iob de turbine.... plenus dierum. *Explicit liber Iob.*

» 123. *Incipit Praefatio Hieronymi in libro Tobiae.*

» 125. *Incipit liber Tobiae.* Tobias ex tribu.... sepeliebat ea.

» 132. *Feria II mane. Sequitur sermo Libri Tobiae.* Contigit ut quadam die.... benedictum in saecula.

» 136. [*Ad Vesp.*] In illo tempore exauditae.... in ipso permaneant.

» 139. *Mane feria III. Sequitur sermo libri Tobiae.* Dixit Tobias filio suo: Indico etiam tibi fili mi.... cum gaudio magno.

» 148. *Ad Vesperas.* Intuens Tobiam Raguhel dixit Annae.... Tobiae dominio devenire.

» 155. *Feria IIII mane. Sermo libri Tobiae.* Tunc vocavit.... gavisi sunt.

» 164. *Ad Vesp. Sequitur sermo libri Tobiae.* Postquam gavisi sunt gaudio magno.... habitatoribus terrae.

(1) In cod. locus vacuus: supplevi rubricam ex all. codd. recentioribus.

pag. 173. *Incipit Passio Domini secundum Mathaeum*[1]. Prima die azymorum accesserunt discipuli.... et egressus foras flevit amare. Fin.

» 182. *Alia*[2] *passio secundum Mathaeum.* Mane autem facto.... et mater filiorum Zebedei.

» 191. *Aliud Evangelium secundum Mathaeum.* Cum sero autem factum esset, venit.... et altera Maria sedentes contra sepulcrum.

» 193. *Aliud Evangelium secundum Mathaeum.* Altera autem die quae est post parasceven.... signantes lapidem cum custodibus. *Hoc Evangelium legitur in Sabbato sancto ad Tertiam.*

» 193. *Feria VI in Parasceve ad Matut. in secunda turma. Prima passio Domini secundum Marcum.* Prima die azymorum quando Pascha immolabant.... et ipse erat expectans regnum caelorum.

» 207. *Passio II. Evangelium secundum Lucam.* Appropinquabat autem dies festus azymorum.... et sabbato quidem siluerunt secundum mandatum.

» 225. *Passio Domini III. Evangelium secundum Ioannem.* Ante diem festum paschae, sciens Iesus.... monumentum, posuerunt corpus Ihesu. *Expliciunt Passiones Domini.*

» 245. *Incipit visitatio infirmorum,* sive Ordo ad sacram. Extremae Unctionis ministrandum (v. *Excerpta*).

» 252. *Incipit commendatio animae* }
» 255. *In agenda mortuorum.* } (v. *Excerpta*).

» 275. Post Ordinem ad sepeliendos defunctos, statim subditur mortuorum officium, Matutinum cum Laud. et Vesp. Defunct., quod convenit cum codd. *R* et *M*, uti in collationibus constat. Post Vesp. defunctorum

(1) Hae Passiones cum seqq. Evang. leguntur triduo in Authentica, (cf. vol. III, p. 182 et seqq. in not.) imo Passiones leguntur in Agenda mortuorum quando corpus defertur ad ecclesiam.

(2) Dicitur *Alia passio* a modo praecinendi tituli: nempe *Passio D. N. I. C. sec. Math.;* sed revera est alia pars narrationis passionis dominicae, factae a Mathaeo.

(p. 286) ponitur seq. rubrica, quae romanam originem etiam officii ambrosiani probat, et rationem quodammodo reddit antiquissimi usus legendī Passionem D. N. I. C. in funeribus, adhuc in ambrosiano ritu servati.

« Hoc quippe defunctorum officium ad exemplum officii dominicae passionis declarare decrevit romana ecclesia: Idest nec Deus in adiutorium meum intende, nec Invitatorium dicitur. Lector quoque benedictionem nec petit nec accipit, nec finem consueto more facit. Gloria vero Patri, vel Kyrriheleison *(sic)* in ipso non dicitur officio, nec missa. Finitis quoque psalmis matutini vel vespertini *(sic)* post antiph. evangelii genua sunt flectenda, et dicta oratione dominica, sequantur hi versus: Requiem aeternam dona eis, Domine. ℟ Et lux perpetua luceat eis. *Item* Non intres in iuditium (287) cum servis tuis, Domine. ℟ Ne tradas bestiis animas. ℟ Animas pauperum. *Item* Domine exaudi orat. ℟ Et clamor. *Item* Exurge. ℟ Et libera. *Seq. psalmus.* Miserere mei Deus secundum magnam. *Hoc finito sine Gloria, dicitur* Averte faciem tuam, Deus, a peccatis nostris. ℟ Et omnes iniquitates nostras dele. *Oratio.* Animabus, quaesumus, Domine, famulorum famularumque tuarum *il.* et *ill.* misericordiam concede perpetuam: ut eis proficiat in aeternum, quod in te speraverunt et crediderunt. Qui vivis. *Hoc sane sermone mortuorum officia terminantur: Cap.* Requiem aeternam dona eis, Domine. ℟ Et lux perpetua luceat eis. *Seq.* Omnes animae fidelium defunctorum requiescant in pace. ℟ Amen. Si vero aut pro itinere aut pro infirmitate aut qualibet occupatione novem lectiones et responsoria facere non licet, tunc his novem psalmis iungendi sunt tres in suis locis ut sint XII, idest: Deus Deus meus respice in me, *cum ant.* Anima mea Domino vivit (288) qui non avertit faciem suam a me. *Al. it.* Dominus illuminatio mea, *cum ant.* Credo videre bona Domini in terra viventium. *Item al.* Beatus qui intelligit super egenum, *cum ant.* Sana animam meam quia peccavi tibi. Fi-

nitis quoque duodecim psalmis, legantur tres lectiones, et canantur tria responsoria. Studiosius ac potissimum spiritales viri pro episcopo et canonico suae civitatis, et pro abbate ac monacho sui coenobii, per XXX dies hoc assidue et publice officium celebrent. Omnisque sacerdos per hos dies missas, et reliqui singula psalteria canent. Pro aliis quidem familiaribus, primo et septimo et trigesimo die hoc officium faciant. Insuper autem tam pro familiaribus, quam pro cunctis fidelibus defunctis, in omnibus kalendis publice Domino persolvant praedictum officium. Finis. Deo gratias ».

pag. 289. *Incipit ad aquam sanctam faciendam.* Huius Ordinis variantes lectiones retuli in notis ad cod. *R* (vol. III, p. 463 et seqq.).
» 293. *Benedictio cineris super cilicium mortuorum.*
» 294. (ultimo) *Oratio in die III, VII, vel XXX, al. m. saec. XI-XII.*

IX. – DE RITUALI SACRAMENTOR. SAEC. XIII OLIM ECCL. S. LAURENTIOLI MEDIOLANI.

Quum Manuale Ambrosianum in cod. *R* etiam Ordines pro Sacramentorum ministratione contineat, ultra codicem ambros. *T 96. sup.*, antiquissima quoque Sacramentorum Ritualia adire statui, et ex antiquioribus illud in Sacrario Metropolitanae, cum veteri signatura *H 62*, saec. XIII exaratum, quo (ut notae diversis manibus scriptae indicant) saltem usque ad saec. XV usi sunt presbyteri curae animarum addicti *in ecclesia s. Laurentioli in civitate Mediolani in porta Vercellina,* a qua subinde ad ecclesiam S. Bartholomaei Portae Novae migravit, antequam ad Metropolitanam translatum esset; cui coaevum nullum aliud in praesens cognosco praeter Rituale sign. *510* inter codd. Trivultianos. Codicis enim *s. Laurentioli* Excerpta, infra edita, plurimum conferre iudico ad illustrandos Ordines cod. *R,* et speciatim

Ordinem *ad funera ducenda*, qui, saec. XI et deinceps, ut videre est, collatis Excerptis codd. *T 96 sup.* et *M,* saepius reformatus vel auctus, tandem formam obtinuit, quam in Rituali ambrosiano ab an. 1589 servat.

Codex iste metropolitanus, qui in meis notis littera **m** minusc. indicatur, est foll. 129 min. formae (0,21 × 0,16), lineis plenis, diversis caracteribus conscriptus, bonae conditionis. Quinque cimeliis codex efformatus est, vel melius dicerem, ad *Rituale* saec. XIII, olim ecclesiae s. Laurentioli, in sequiori compactione accessisse quatuor aliorum, et diversae aetatis, codicum fragmenta.

ff. *a* et *b,* fragmentum libri gradualis vel antiphonarii romani ritus cum neumis, ma. saec. XI: continet nonnullas antiphonas et ℟℟ pro officiis ante nativitatem Domini.

» 1-103. Integrum Rituale ambros., una manu, grandi et nitido caractere saec. XIII exaratum: littera capitalis in folio 1 decenter depicta exprimit imaginem Salvatoris; tituli rubricati; litterae maiores, vel rubrae vel ceruleae, bene et tenuiter ornatae. Infra, *Excerpta* codicis **m** hanc partem codicis per extensum exhibent, summarie tantum indicatis partibus, quae alibi occurrunt sive in Manuali *R,* sive in aliis *Excerptis.*

» 104-117. Fragmentum officii pro defunctis, manu saeculi XIII-XIV exaratum, cum notis musicis pro antiphonis et ℟℟ (incipit a verbis « ab omnibus iniquitatibus eorum » ps. 129 in Vesperis defunctorum), quod in reliquis usque ad finem convenit cum codice *R;* et postea nitido caractere succedit veluti parvum *Antiphonarium in agenda defunctorum*, cum notis musicis, et ductis duabus lineis, una flavi coloris altera rubra. Post cantus ad Missam pro defunctis, in calce fol. 116′ et in folio 117 quo quaternio completur, al. ma. saec. XIV apposuit notas musicas pro antiphonis et psalmis in Matut. defunctor.: sed melodia, ut constat, non est ambrosiana;

insuper haec additio est mutila, et desinit ad verbum « Delicta » ant. II. noct. II.

ff. 118-125. Quaternio, alia manu saec. XIV exaratus, lineis plenis, caractere nitido, titulis rubricatis, usque ad fol. 123: continet plures *Benedictiones*, quas vide in in *Excerptis:* in fol. 123 et seqq. nonnullae additiones diversis manibus saec. XV, nempe:

a) Inventarium bonorum ecclesiae s. Laurentioli anno 1437, die 2 augusti exaratum, ex quo patet, codicem compactum fuisse in hac forma priusquam ad ecclesiam s. Bartholomaei perveniret;

b) Sanctorum litaniae, propriae fortasse eiusdem ecclesiae s. Laurentii;

c) Formula absolutionis plenissima (v. *Excerpta*) et

d) Oratio pro bened. sponsae: *Deus qui potestate virtutis tuae* (ut in Sacrament. Gregor., et in vol. I *Monum. vet. lit. ambr.*, p. 66).

» 126-127 ma. saec. XV. lineis plenis et caractere tenui exarati, continent Ordinem pro supplendis caeremoniis super puerum iam baptizatum.

DE ORDINE
ANTIQUAE PSALMODIAE AMBROSIANAE

DISSERTATIO.

In omnibus codicibus liturgicis, et praesertim in Manualibus et Antiphonariis plura desiderantur, quae utpote communia singulis divinae psalmodiae partibus, ex usu memoriter a presbyteris tunc temporis supplebantur; et si aliquando passim hac partes communes indicantur, notae sunt vel 2 ma., vel compendiosae, ita ut nonnisi longo studio restitui valeat antiquus ordo, quin dicam fere impossibile negotium evaderet nisi in subsidium vocentur ordines Beroldiani, et traditio ambrosiana subsequentis aetatis, quae bene repraesentatur per rubricas diligenter olim digestas a Petro Casola, ordinario ecclesiae Mediolanensis, in Breviario Ambrosiano edito Mediolani anno 1490, et tandem in meliorem formam post Tridentinum anno 1582 auctoritate Archiepiscoporum redactas et singulis editionibus Ambrosiani Breviarii praefixas.

His rationibus motus in hoc capite singularum ambrosianae psalmodiae partium antiquissimum ordinem ex citatis et aliis documentis depromptum exponere duxi, ut lectori usus antiqui Manualis promptior evadat, eique insimul innotescat eundem ordinem fere adamussim adhuc servari in Breviario Ambrosiano, venerandae antiquitatis insigni monumento.

De Vigiliis. — Duplex Vigiliarum genus occurrit in Manuali Ambrosiano.

Vigilias, quibus solemne alicuius festi praeveniebatur officium, indicant passim rubricae: *In vigilia ad Missam,* vel simpliciter *Ad vigilias* seu *Ad Missam.* Has Vigilias tamen non confundas cum Vigiliis in festis Nativitatis, Epiphaniae, Sabbati sancti, Pentecostes cum Missa inter Vesperas I, quarum ritum luculenter indicant tum Manuale, tum Ordo Beroldianus (Magistretti, *Beroldus,* etc., pp. 74, 110 et 120). Vigiliae, de quibus nunc est sermo, constabant ex *Missa de Vigilia* ante Vesperas, quae in proprio Sanctorum passim occurrit, et in communi Sanctorum tantum pro martyribus indicatur. In nonnullis tamen festis Sanctorum ante Missam de Vigilia, quae canebatur in templo ubi erat festum, Ordinarii Ecclesiae mediolanensis canebant *Psalmos,* idest integrum Psalterium; et in casu, ut indicat Beroldus (*o. c.*, p. 57 et seqq.) ita hae Vigiliae ordinabantur:

« In Vigiliis Sanctorum, quando Ordinarii canunt *Psalmos,* semper canunt Tertiam in ecclesia hyemali, deinde proficiscuntur ad festum cum processione, cantando cantus Litaniarum (1), secundum diem cui ipsa ecclesia festi ipsius data est.... cum ad ecclesiam, ubi festum est, pervenerint, statim ut intrant chorum, primicerius notariorum ter dicit *Kyrie eleison,* suis sequentibus eum, et primicerius lectorum similiter cum suis. Sequitur *Agnus Dei. Gloria Patri.*

(1) Probabiliter ante processionem presbyter canebat ℣ *Dominus vobiscum* (*Beroldus*, o. c., p. 65, l. 14). Huiusmodi Litanias habes compendiose in notis ad *Manuale* (vol. III) pro *feria II*, p. 47; pro *feria III*, p. 49; pro *feria IV,* p. 50: locus Beroldi est satis obscurus, et dicendum: quod si ecclesia, ubi festum, erat stationalis tridui Litaniarum (v. *Manuale*, p. 245 et seqq.) in casu cantus sumebantur ex ipsa feria, quocumque die festum obtingeret; quod, si ecclesia non erat una ex praedictis stationalibus, pro festis in feria II vel V occurrentibus, canebantur antiphonae diei I (v. *l. c.*, p. 47); et eadem ratione illae diei II et III canerentur pro festis in feriis II et VI, vel IV et sabbato occurrentibus: ubi advertas cum Beroldo (*o. c.*, p. 58) « Si festum venerit in secunda feria, canunt Psalmos et Missam *(de vigilia)* tantum in die sabbati ».

Sicut erat. (Agnus Dei) Suscipe deprecationem. Agnus Dei: ter *Kyrie* communiter (cf. vol. III, p. 47, in not.). Archiepiscopus aut presbyter incipit *Deus in adiutorium meum intende;* sequitur *Te Deum laudamus* (1): deinde salutat (℣ *Dominus vobiscum*) postea incipit Psalterium, sicut mos est; et si lectiones habentur, vita vel passio, notarii legunt iussu primicerii sui, unam in *Quid gloriaris* (*nempe ante psalm. 51*) alteram in *Domine exaudi* (*ante psalm. 101*). Notarius etiam ℟ in *Quid gloriaris....* et secundicerius semper canit ℟ in *Domine exaudi.* Finitis Psalmis, Archiepiscopus aut presbyter hebdomadarius canit Missam (*de Vigilia*) sicut mos est.... Finita Missa canunt Vesperas, etc. ».

Ad notitiam huius psalmodiae pertinent quoque illa quae in Beroldo (*o. c.,* p. 125; cf. vol. III, p. 427 in nota) leguntur pro ordine servando in festo Exaltationis S. Crucis: « In primo sabbato mensis octobris, hebdomadarii canunt *Psalmos* (integrum Psalterium) in ecclesia hyemali; et in Psalmos dicunt orationes illas, quae sunt in ferialibus in baptisterio (nempe in *rotulo* orationum pro stationibus in baptisterio) incipientes ab illis quae sunt in dominicis diebus in matutinis: et notarius canit primum ℟ *Tua est potentia;* secundicerius canit secundum (℟) *Domine, miserere nobis* ». Ex his patet quod insuper non deessent post psalmos 50 et 100 ℟℟ (forte desumpta ex *Vigiliis* post Vesperas, de quibus statim tractaturus sum) et orationes in *psalmos:* sed an singulae orationes ad singulos psalmos dicerentur, affirmare non valeo; imo, deperditis huiusmodi

(1) Hymnus *Te Deum* in antiqua psalmodia ambrosiana, ut iam notavi, semper obtinebat ante Psalterium, nunquam vero in Matutino; sed Ioannes Vicecomes Archiepiscopus (1342-54) primum, et deinde Franciscus Pizzolpasso eius octavus successor (1430), romanum ritum secuti, forte eo quod obsoleverat antiquus Vigiliarum usus, eundem hymnum addiderunt lectionibus Matutini, exceptis Matutinis ferialibus, et Adventus et Quadragesimae (cf. Muratori, *A. M. Æ.,* t. IV, c. 93 — Mazzucchelli, *Osserv. sul Rito Ambr.*, Mediolani 1828, p. 349), unde factum est quod saec. XVI omnino aboliretur antiquissima *Laus Angelorum* post psalmum directum ad Laudes (cf. vol. III, p. 415).

rotulis, ex computo facto in Manuali, numerus huiusmodi orationum (29) aliter suaderet, nisi ipsas orationes presbyter hebdomadarius toties per ordinem repetisset quoties sufficeret ad explendum numerum psalmorum.

Uti patet ex contextu Beroldi, quando Psalterium canebatur ante Missam de Vigilia, forte omittebantur Horae Sexta et Nona; sed nullimode hac psalmodia absolvebantur Vigiliae, nam post Vesperas occurrunt alterius generis Vigiliae, quae cum Vesperis omnino coniunctae erant, ita ut, quemadmodum Beroldus indicat (*o. c.*, p, 58, l. 8 et seqq.) Vesperae cum huiusmodi Vigiliis (quae sua ℟℟ cum antiphonis propriis, orationibus et litaniis habent in proprio vel communi Sanctorum post Vesperas digesta) canerentur post prandium, in sabbato [1], si festum obtigisset in dominica; vel ipso die dominico, si festum venisset in feria secunda: tantummodo exceptio fiebat pro duobus festis, nempe sancti Martini et s. Ambrosii; nam in utroque casu, cum festum die dominico obtigisset, fortasse ratione ieiunii solemnioris, Vesperae cum Vigiliis, non post prandium, sed statim post Missam de Vigilia canebantur: de cetero si festum erat in feria secunda, Vesperae cum Vigiliis disiunctae a Missa

(1) Ex hoc loco Beroldi patet antiquissimum ritum festa Sanctorum saltem solemniora (I classis) celebrandi etiam dominicis diebus, adhuc obtinuisse saec. XII, licet contradicant Radulphus Tungrens. *De Canon. observ.*, proposit. XV., et hodierna Brev. Ambr. rubrica (*Rubr. gen.* § VI) saec. XVI conflata, contra traditionem ambrosianam cuius sunt testes, codex metropolitanus *Beroldus novus,* qui ubi festum s. Galdini statuit celebrandum Dominica quaque II post Pascha quoniam eo die, concione expleta, animam Deo reddidit; et Rubrica *Breviarii Ambros.* an. 1490 animadvertens quod « more ambrosiano nunquam omittitur officium dominicale pro aliquo sancto aut sancta, nisi *in propriis ecclesiis* », immo ipsius rubricae quae adhuc in Breviario ambrosiano obtinet pro festis ss. Stephani, Iohannis, Innocentum, et s. Thomae Cantuariensis, alias s. Iacobi Apost., Dominica post Nativitatem occurrentibus. — Nec desunt in Calendariis ambrosianis, ex. gr. an. 1568, festa Sanctorum Apostolorum, quae celebrata fuerunt licet die Dominica occurrente: qua ratione adhuc Capitulum metropolitanum ad Basilicam ambrosianam pergit quando die dominico Adventus celebratur festum s. Ambrosii.

de Vigilia (dicta in sabbato) canebantur ipso die dominico post prandium in sua basilica cum stationibus ad alias ecclesias praescriptis (cf. vol. III, p. 19), cuius ritus memoria adhuc viget in usibus Capituli metropolitani, qui, festo S. Ambrosii occurrente feria II, non sabbato, sed die dominico pergit ad basilicam ambrosianam pro primis Vesperis, quae iuxta rubricas reformatas sunt quidem de Dominica IV Adventus sed in paramentis albis. Sed his praenotatis ad declarationem Ordinis beroldiani, modo de *Vigiliis* post Vesperas et cum ipsis coniunctis, aliquid dicendum.

Ex notis secundae manus in aliquibus Manualibus inscriptis, ex Ordine beroldiano, et praesertim ex codice metropolitano *M*, sive Beroldo novo, facile deprehenditur Manuale ambrosianum tantummodo indicare partes proprias huiusmodi *Vigiliarum*, quas dicerem vespertinas, caeteris omissis, quae ex traditione vel usu supplebantur: haec tamen restituere, ut integer ordo appareat, non difficile negotium evadit; praedicta enim documenta et notae satis indicant, qua ratione inchoarentur, quave absolverentur Vigiliae. Et in primis Beroldus (*o. c.*, p. 59, ll. 13-21) nos docet, quod:

« In vigilia Sancti.... Archiepiscopus (*parare*) facit quatuor cereos.... quos ille mittit cimiliarchis praedictarum ecclesiarum: duos quorum ipse archiepiscopus accendit *in principio hymni ad Vigiliam* [1]....; ceteros accendit in Missa maiori ». Hymnus qui numquam occurrit in Manuali, quantum ex uno [2] exemplo (pro festo S. Michaelis) in cod. *M* coniicere licet, erat ille proprius vel communis officii diei.

(1) Num Vigiliae inchoarentur ℣ *Deus in adiutorium*, etc., non affirmarem, sed est probabile; nam eadem ratione, ut vidimus, incohabantur ante Missam de Vigilia *Psalmi*, quibus etiam praecinebatur alius hymnus, nempe *Te Deum*.

(2) Aliud exemplum pro festo s. Stephani Protom. suppeditat Antiphonarium Ambros. ed. a PP. Solesmensibus *Paléographie Musicale*, t. VI.

« Incoepta Vigilia (1) et hymno, cimiliarcha illius ecclesiae repraesentat praedictos cereos rotulario pontificis et candelam unam accensam, de qua pontifex accendit cereos sicut mos est » (*Beroldus* o. c., p. 59, l. 30 et seq.).

Post hymnum, ut in Matutino et Vesperis, canebatur ℟ I *in Vigiliis* (sive propriis sive communibus: et hoc semel sit dictum) descriptum, post quod antiphona I cum psalmo (non tamen dicebantur psalmi *Ecce nunc* et *Laudate*) addito *Gloria Patri* (ut nota 2 ma. in cod. *U* ad Vigilias S. Andreae advertit) et oratione I *intonata*. Quantum coniicere licet ex notis in cod. *U*, et ex perpetuo usu ambrosiano, ante psalmum, et tum ante et tum post orationem *intonatam*, presbyter vel archiepiscopus canebat ℣ *Dominus vobiscum*.

Ante ℟ II et ℟ III, si habebantur, legebantur *lectiones de vita;* de quibus haec Beroldus habet: « Et si lectiones leguntur in Vigilia, primam legit notarius iussu primicerii sui, secundam subdiaconus, cuius septimana est: et quando prima lectio legitur, presbyter ipsius ecclesiae dat thuribulum accensum pontifici, et ipse facit incensum super altare et ante altare; deinde levita, cuius vicissitudo est, facit circa altare et circa chorum....: simili etiam modo fit in secunda lectione » (*Beroldus,* o. c., p. 59, l. 33 et seqq.).

Post lectionem I, ut notae cod. *U* indicant, successive canebantur ℟ II, ℣ *Dominus vobiscum*, antiphona cum uno psalmo, ℣ *Dominus vobiscum,* oratio II *intonata,* et fortasse (ut usus ambrosianus suadet) iterum ℣ *Dominus vobiscum.*

His cantatis, subdiaconus ebdomadarius legebat lectionem II de vita, ut supra dictum est, post quam eodem ordine canebantur ℟ III, ℣ *Dominus vobiscum,* antiphona cum psalmo; et, « finita antiphona psalmi, sequitur *Dominus vobiscum* tantum », ut habetur in notis cod. *U*.

(1) Huiusmodi cerei in Missa maiori accendebantur ab Archiepiscopo, sedente in throno, post orationem super populum, incoepta *passione* vel *depositione*, quae loco lectionis propheticae canebatur ante Epistolam (*Beroldus,* o. c., p. 62, l. 5 et seqq.).

Deinceps, ut indicant rubricae Manualis, processionaliter clerus successive accedebat pro stationibus ad tres ecclesias, quibus respondent tria *psallentia*, cum una vel pluribus antiphonis canendis in itinere: ad ingressum in singulas ecclesias, more solito canebantur in gremio ecclesiae *Kyrie eleison*, cum *psallenda*, nempe antiphona repetita cum *Gloria Patri*, quae in Manuali indicatur per rubrica: *post Kyrie cum Gloria*.

Absoluta psallenda, ante altare maius, presbytero praecinente ℣ *Dominus vobiscum* (ut indicant notae in cod. *U*, et usus ambrosianus adhuc vigens pro precibus *in baptisterio* ad Laudes et Vesperas) canebatur ℟, post quod una oratio in tono recto (*plana*, cod. *U*) et deinceps ℣ *Dominus vobiscum*: quibus absoluta statione, et intonata antiphona *psallentii*, pergebatur ad aliam ecclesiam. In tertia ecclesia (nisi aliter, ut in Vigiliis S. Andreae, praescriptum erat) loco ℟, statim canebantur Litaniae Sanctorum illius ecclesiae, quae, more ambrosiano, incipiunt ℣ *Domine, miserere*: « magister scholarum hebdomadarius facit litanias cum quatuor pueris, ante altare ubi festum celebratur » (*Beroldus*, o. c., p. 60, ll. 11-14); et absolutis litaniis, presbyter canebat ℣ *Dominus vobiscum*, aliam orationem *intonatam*, et ℣ *Dominus vobiscum* (ut notat cod. *U*) quo ultimo ℣ absolvebantur stationes, fortasse additis: ℟ *Et cum spiritu tuo. Kyr. kyr. kyr.* ℣ *Benedicat et exaudiat nos Deus*. ℟ *Amen*. ℣ a diac. *Procedamus cum pace*. ℟ *In nomine Christi*. ℣ *Benedicamus Domino*. ℟ *Deo gratias*; ut more ambrosiano absolvuntur omnes liturgicae functiones (v. *Manuale*, vol. III, p. 47 in nota, et passim; cf. Magistretti, *Beroldus*, etc., p. 188. nota 109).

Memoria antiquissimi ritus huiusmodi psalmodiae in Breviario ambrosiano a saec. XVI quodammodo ex parte restituta fuit, uti videre est in eiusdem *Rubricis generalibus* (§ XII) post reformationem editis, cuius verba huc referre placet:

« Sunt etiam quaedam Vesperae de Sanctis Patronis et Titularibus, quae cum *Vigiliis* mixtae sunt, in quibus

in choro, post orationem primi psalmi, praemisso ℣ *Dominus vobiscum,* canitur *una lectio de vita Sancti cum suo* ℟; deinde, dicto iterum ℣ *Dominus vobiscum,* inchoatur antiphona II cum psalmo; post orationem vero secundi psalmi, canitur *alia Lectio cum suo* ℟; et deinde canticum *Magnificat* cum sua antiphona, etc. *Post psallendam vero,* ante Completoria (nempe ℣℣ *Sancti tui Domine,* etc., et *Benedictus es Domine,* etc.) *canuntur litaniae Sanctorum: ultimae vero orationi, quae canitur in tono, praemittitur* ℣ *Dominus vobiscum* ».

Unum superest animadvertendum, nempe circa benedictionem petendam et dandam lectoribus. Si ex verbis Beroldi, ubi dicitur singulos legere « *iussu primicerii sui* » argui posset quod singulorum primicerii benedictionem impertirent, tamen ipse Beroldus (p. 38, l. 1) et notitia in *Expositione matutinalis officii,* auctore Theodoro [(1)], aliter suadent. Cum Beroldus (l. c.) dicat quod « si archiepiscopus adfuerit, debet incipere matutinum.... et dare benedictionem legentibus lectionem; si vero defuerit, archipresbyter facit idem: », dicendum est etiam in aliis officiis, occurrentibus similibus lectionibus, et benedictionem ab archiepiscopo vel eius vice a presbytero praesidente impertitam fuisse, nulla tamen peculiari formula ad hoc praescripta, nam neque in theodoriana *Expositione,* neque in antiquis Manualibus ambrosianis ulla occurrit formula: antiquissimi usus fortasse memoria est illa rubrica quae adhuc legitur in Missali ambrosiano (v. *Repertorium,* in princip.): « *Ad omnes Lectiones et Evangelia* (quae scilicet legenda sunt in Vesperis I Nativitatis, Epiphaniae, et Pentecostes, et in solemniori Triduo hebdomadae in Authentica) *datur benedictio* (nulla praescripta formula, quae tamen in his Vesperis, ex usu, desumitur a Rubricis generalibus Missalis, et ipsis seriori aetate conflatis) *exceptis illis* (lectionibus) *quae sunt infra Horam Sextam Feriae VI in Parasceve, et Horam Nonam Sabbati sancti inclusive* ».

(1) Cf. *Excerpta* cod. *M,* inferius edita.

De Vesperis. — Festa omnia, iuxta morem antiquissimum a Synagoga in Ecclesiam derivatum, et in Manuali Ambrosiano saltem usque ad saec. XIV servatum, semper incipiebant Vesperis, quas (secundis deinde additis Vesperis) nunc primas vocamus; absolvebantur autem solemni Missa de die. Ab hac tamen regula excipias solemniores festivitates Domini nostri, nempe Nativitatem, Epiphaniam, Pascha, Ascensionem, Pentecosten, Dedicationem Ecclesiae maioris (Domin. III oct.), et omnes infra annum Dominicas, quarum officium a Matutino incoeptum perficitur Vesperis. Haec regula in Manualibus inviolabiliter servata pro festis Sanctorum, etiam illo S. Ambrosii, nescio qua de causa, exceptionem patitur in festo S. Laurentii, quod *proprium* pro Vesperis II habet; nec ullum aliud Sancti officium, saltem usque ad saec. XIII, utrasque Vesperas consequutum est, nam Gotifredus de Buxero in suo opere *Liber notitiae Sanctorum Mediolani* (nn. 229-230) usum ambrosianum commemorans, haec, ea tempestate, scripsit: « Officium beati Laurentii maius est omnibus Sanctorum festis.... Solus in ambrosiano (usu) habet proprium officium ad Vesperum in die festivitatis ». Cui notitiae adde, quod tantum in cod. *U* 2 ma. saec. XIV in margine officii Nativitatis S. Ioannis appinxit ordinem pro Vesp. II, quas prorsus omittit cod. *M* (saec. XIII) qui, ut bene notavit Gotifredus ille, tantum ponit Vesp. II in festo S. Laurentii [1]. Antiquum ambrosianum usum confirmant Ordo beroldianus, qui nullam de Vesperis II in festis Sanctorum memoriam facit, et perpetuus usus Capituli metropolitani, quod etiam nunc, licet in festis s. Stephani, s. Sebastiani, ss. Protasii et Gervasii, ss. Petri et Pauli, ss. Nazarii et Celsi, s. Laurentii, et s. Ambrosii, eorundem basilicas urbanas adeat pro Vesperis primis cum Vigiliis,

(1) Occurrunt Vesperae II, in Antiphon. Ambros. saec. XII, nunc Musaei Britanici (ed. Solemnensis, in *Paléographie Musicale*, tt. V et VI) pro festo Purificationis; et in Antiph. Ambr. ecclesiae Muggiaschae (Ann. 1387-88) pro festis s. Victoris, ss. Protasii et Gervasii, Nativ. s. Io., ss. Petri et Pauli, ss. Nazarii et Celsi, s. Laurentii, et Nativ. B. M. V., non tamen pro festo s. Ambrosii.

et pro Missa diei, tamen secundas Vesperas serioris institutionis minori apparatu semper celebrat in Metropolitana. De hac psalmodia, quin repetam iam dicta in meo opere *La liturgia della Chiesa milanese nel sec. IV,* iuverit animadvertere, Vesperas ambrosianas ad duas classes reduci. Ad primam classem Vesperarum, quae, ad typum illarum diei et octavae Paschatis conflatae, (ut illae aliquarum Solemnitatum et Dominicarum, necnon Feriarum de Exceptato et hebdomadae in Authentica) altam antiquitatem sapiunt et primaevam formam servant, pertinent Vesperae Solemnitatum Domini, et ipsae Sanctorum Vesperae, quibus ante *Magnificat* accedit secundus psalmus cum sua antiphona et oratione: aliae Vesperae, Dominicarum et Feriarum communium, secundam classem omnino distinctam constituunt; nam in selectu et ordine psalmorum ab usu Romano omnino pendent, licet quoad primam partem ante psalmos, et quoad ordinem antiphonarum et reliquarum partium post *Magnificat*, praesertim precum in baptisterio, ambrosianam traditionem omnino servent.

Ex Breviarii Ambrosiani rubrica, quae etiam post reformationem saec. XVI labente factam, antiquissimum ordinem Beroldi (*o. c.*, pp. 54-56, 64) et rubricas a Petro Casola anno 1490 iuxta traditionem ecclesiae metropolitanae editas conservat, lector dignoscere potest formam Vesperi ambrosiani, qui in tribus partibus dividi potest.

Post *Pater noster* et ℣ *Adiutorium nostrum*, etc. (*Beroldus*, l. c.) dictos privatim, incipiuntur Vesperae: ℣ *Dominus vobiscum*, ℟ dictum *Lucernarium*, antiph. in choro si non est feria, *hymnus* et ℟ *in choro* seu *cum infantibus* successive canuntur, sed interpolato ad singula ℣ *Dominus vobiscum.*

Post hanc primam partem succedunt (demptis tamen Vesperis II Nativitatis D. N., Sabbati sancti et Pentecostes) psalmi, qui in Dominicis et Feriis (1), nisi aliter in

(1) In Feriis hebdomadae Authenticae derogatur regulae generali hic expositae (cf. vol. III, pp. 176 et seqq.).

Manuali disponatur, sunt quinque, unusquisque cum suis *Gloria Patri* et antiphona: ant. ultimae adduntur tres *Kyrie eleison,* et postea ℣ *Dominus vobiscum* cum oratione *in tono:* in aliis Solemnitatibus et Festis vero semper adest primus psalmus cum *Ecce nunc* (ps. 133) et *Laudate* (ps. 116) sub eodem *Gloria Patri* et una antiphona cum tribus *Kyrie,* ℣ *Dominus vobiscum* et oratione *in tono*: et fere semper huic primo psalmo, post orationem, dicto ℣ *Dominus vobiscum,* additur alter psalmus cum *Gloria* et antiphona, quae similiter concluditur tribus *Kyrie eleison,* ℣ *Dominus vobiscum* et oratione. In secunda hac parte psalmodica, ut ita dicam, nunquam deest (nisi in Vesperis cuiusque Feriae VI Quadragesimae et hebdomadae Authenticae) canticum B. V. M. cui semper praemittitur ℣ *Dominus vobiscum*, et post *Gloria Patri,* repetito tantum ℣ *Magnificat anima mea Dominum,* adduntur antiphona cum tribus *Kyrie*, ℣ *Dominus vobiscum* et oratio.

Tertia pars Vesperarum, ut indicatur in proprio vel communi, perficiebatur *in baptisterio*, ad quod in omnibus Vesperis (exceptis Vesperis I Nativitatis, Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes, Feriis II, III, IV de Exceptato, Feriis VI quadrag. et Feriis in Authentica) accedebant, nisi ut in Vesperis Sanctorum pergendum erat ad aliquam ecclesiam vel sacellum pro statione. In Feriis sive propriis sive communibus statio in baptisterio perficitur hoc ordine: dicto ℣ *Dominus vobiscum*, canitur ℟ *in baptisterio,* et subduntur una oratio leni voce (sine tono) et postea ℣ 4 unius psalmi cum *Gloria* et antiphona, quae completur ℣ *Benedictus es Domine,* etc. (vol. III, p. 412) dicto *completorium,* cui succedit alia oratio item sine tono. In Dominicis, aliisque Solemnitatibus et festis Sanctorum, accedentes ad baptisterium canebant unam antiphonam, quae *psallenda* vocatur, quam in baptisterio repetebant post ℣ *Gloria Patri*. In Dominicis et Solemnitatibus, pro quibus *Manuale* praescribit ℟ in *baptisterio* et reliqua (ut supra), post psallendam dicitur ℣ *Dominus vobiscum;* et quia semper additur alia *psallenda* ad

baptisterium foeminarum, post antiphonam in ℣ 4 psalmi, canuntur duo *completoria,* I *Regnum tuum Domine,* etc., II *Benedictus es, Domine* (vol. III, p. 412) quae semper dicuntur, si adsit psallenda II (*de baptisterio in aliud*). Quando non habetur psallenda II, statim post psallendam dicuntur *completoria* cum oratione in tono recto, quae est ultima Vesperarum; quo in casu, loco completorii I *Regnum tuum,* dicitur *Quoniam tu illuminas* (p. 413), vel *Sancti tui Domine,* etc. (p. 379 in nota), si Vesperae sunt de Sanctis. Si vero adest *psallenda II,* dicta oratione, praecinitur ℣ *Dominus vobiscum,* et cantata psallenda altera cum *Gloria Patri,* et duobus completoriis *Quoniam tu,* etc., et (iterum) *Benedictus es Domine,* etc., dicitur in tono recto ultima oratio.

Vesperae, sive habeatur sive omittatur haec psalmodia in baptisterio, semper absolvuntur post ultimam orationem cum ℣℣ *Dominus vobiscum,* ℟ *Et cum spiritu tuo,* additis tribus *Kyrie eleison* (*duodecim* in Vesperis Ferr. II, III, IV de Exceptato, et in Authentica, atque Feriis II, III Tridui Litaniarum: cf. supra pp. 25 et seqq., in notis codicis *U* 2 ma. saec. XIV exaratis; et vol. III, in notis ad Manuale ex cod. *M* desumptis), et aliis ℣℣ *Benedicat et exaudiat nos Deus.* ℟ *Amen.* ℣ *Procedamus cum pace,* ℟ *In nomine Christi.* ℣ *Benedicamus Domino,* ℟ *Deo gratias,* quae semper occurrunt in fine omnium sacrarum actionum, demptis tantummodo Horis minoribus. (1)

Pro usu antiqui Manualis Ambrosiani, advertam, *lucernarium,* ubi proprium non indicetur, inveniri in communibus, Dominicarum (vol. III, p.411) seu Feriarum (p. 432) seu Sanctorum (pp. 378, 383, 390, 395); item dicas de *completoriis,* quae post psallendas semper ex usu supplebantur (p. 375 in nota; et pp. 412, 413) etiam in Feriis et

(1) Beroldus (l. c.), et Casola in *Rubr. Brev. Ambros. 1490* nil aliud addunt post *Benedicamus Domino;* sed ex usu Metropolitanae, ubi solemniter a musicis canitur *Pater noster,* qui tamen in rubricis Breviarii reformati additus fuit *secreto* dicendus post ℣ *Benedicamus Domino,* deducerem quod dominicae orationis cantus invectus fuit ante reformationem saec. XVI.

Sabbato ante ultimam orationem (p. 433 et p. 446); quoad ceteras Vesperarum partes idipsum dicendum: ita ut, ubi propriae desint, licet communes non indicentur, hae quoque requiri debeant in communibus, Dominicarum (p. 417), Feriarum (pp. 430 et seqq.) et Sanctorum (pp. 374 et seqq.).

Quoad Vesperas unum superest animadvertendum, nempe de Vesperis Dominicae concurrentibus cum Vesperis Sancti, cuius festum celebrandum erat feria II; licet Ordo beroldianus, supra relatus, nihil de Vesperis Dominicae dicat, tamen ex Manuali (vol. III, p. 413 in nota, et p. 430, ll. 11-14) coniici potest quod in casu duae canerentur Vesperae: primae erant de Dominica, omissis psalmis (cuiusmodi exemplum vide in die Nativitatis Domini, p. 61) in ecclesia sive hyemali sive aestiva; aliae erant propriae officii Sancti sequentis: vetus usus obsolevit, nova invecta rubrica unius tantummodo Vesperi cum commemoratione praecedentis vel sequentis, secundum rationem festorum (cf. *Breviar. ambr. rubr. gen.*, § 8), a qua regula tamen excipiuntur adhuc Vesperae in die Nativitatis et die s. Stephani protomartyris, quibus diebus duae semper sunt Vesperae: primae de Nativitate, aliae de Sancto sequenti.

De Matutino. — Voces *Nocturnum* et *Laudes,* quae modo etiam in Breviario ambrosiano post saec. XV occurrunt, prorsus alienae sunt a genuina ambrosiana dicendi ratione. Psalmodia enim, sequiori aevo distincta in *Matutinum* proprie dictum et *Laudes, Matutinum* simpliciter in Manuali ambrosiano audit; et ex ipso nomine bene confirmatur primaevus cleri saecularis in Ecclesia Mediolanensi usus canendi Matutinum summo mane; quod aliunde constat, sive ex hymno s. Ambrosii *ad galli cantum,* quo Matutinum ambrosianum semper exorditur (vol. III, p. 413), sive expressius ex oratione II in Vesperis Feriae V communis (p. 440), ubi Deus precatur his vocibus: « exaudi supplices tuos, et sine offensione *matutinis laudibus* repraesenta », quibus concinunt, primum haec oratio in Vesperis Sabbati communis: « *Vespere, mane, et meridie* maiestatem

tuam supplices exoramus, omnipotens Deus: ut expulsis peccatorum tenebris, ad veram lucem, quae Christus est, nos iubeas pervenire. Per. » (p. 446), et deinde antiphona *in choro* (p. 411) in commune Dominicarum ad Vesperas, fere iisdem vocibus: « Ego ad Dominum clamavi, et exaudivit me, *vespere, mane, et meridie* ». Hic loquendi modus, quantum video, explicari non posset nisi admittendo quod clerus ambrosianus ad psalmodiam liturgicam quotidianam (exceptis solemnioribus festis, in quibus *Vigiliae* quoque celebrabantur) primaevis temporibus, certe ante saec. XI, *ter* tantum *in die* convenisset; quemadmodum alias (in op. *La Liturgia milanese del sec. XIV;* Mediol. 1899, cf. p. 123 et seqq.) demonstrare conatus sum.

Sed ad propositum rediens, *Matutini* typus occurrens in Manuali ambrosiano, quem habemus in ordine Dominicae I post Pentecosten (vol. III, pp. 413 et seqq.) et bene illustratur *Expositione Matutini officii mediolanensis Ecclesiae,* auctore quodam Theodoro [1], fere adamussim convenit cum rubricis generalibus hodierni Breviarii ambrosiani. Ut Theodorus ille et Beroldus innuunt omne Matutinum exordiebatur: ℣ *Deus in adiutorium,* etc. cum *Gloria Patri,* etc., *Alleluia,* hymno ambrosiano *Aeterne rerum conditor*

(1) *Expositio Matutini officii Mediolanensis Ecclesiae,* inter *Excerpta* codd. *M* rursus, data occasione, cuditur, licet eam iam ediderit Petrus Casola, Ecclesiae mediolan. Ordinarius (in calce Brev. Ambr. Mediol. 1490 per Antonium Zarottum editi), qui et supplevit omissa in cod. *M,* et in alio cod. ambrosiano saec. XII (sign. *I, 152 inf.*) ubi eadem *Expositio* transcripta apparet ex codice acephalo et mutilo in fine. Auctor *Expositionis* utique non est ille Theodorus archiepiscopus noster, qui an. 755 diem clausit extremum: praeter id quod in *Expositione* citatur Amalarii liber *De divinis officiis* circa an. 825 concinnatus, hunc Theodorum fuisse auctorem saec. saltem X non antiquiorem et quidem parum notum, suadet in primis silentium Landulphi senioris (1045-1100) qui et ipse in *Histor. Mediol.* l. I, n. 13, descripsit ritus *antiphonae ad crucem;* deinde quod, contra fidem Codicis nostri *R* saec. XI, in hac *Expositione* una tantum oratio et non tres orationes ponantur ante *Laudate*, dum tantum codd. post saec. XI, ut videbimus, servant officiis quadragesimalibus illas tres orationesquae sunt in Communi dominicali et feriali (cf. vol. III, pp. 415, 431 et seqq.).

cum suo ℟ *post hymnum* de proprio vel de communi, et hymno sive cantico trium puerorum (vol. II, p. 164) cum antiphona *Benedictus es,* seu *Laudabilis* pro ratione diei et temporum, ut perpetuus usus in Beroldo (*o. c.*, p. 39, cf. nn. 14 et 24) commemoratus et a Breviario ambrosiano an. 1490, atque rubricis Breviarii reformati (ad Matutinum) clarius expositus indicat; cui hymno in fine adduntur *Kyrie eleison* et ℣ *Benedictus es Deus.* ℟ *Amen.*

Post haec canebantur, et adhuc canuntur, quae a saeculo XV dicuntur *nocturna,* nempe cantica et psalmi ante Lectiones. Generatim haec psalmodia distinguitur tribus antiphonis, et unaquaeque enunciatur initio nocturni, et integra canitur in fine, post *Gloria Patri,* et concluditur tribus *Kyrie eleison* et ℣ *Benedictus es Deus,* ut supra. Selectio psalmorum et canticorum, iam ante saec. XI hac ratione facta est: pro Dominicis diebus, et Solemnitatibus Domini, tria habentur cantica, nempe Esaiae (vol. II. p. 165), Annae (p. 166) et illud Abachuc (p. 167) hyemali tempore, a Dominica I octobris ad Pascha, vel Ionae (p. 167) a Paschate, tempore aestivo; pro Sabbatis cantic. Moysis (p. 175, et vol. III p. 443) et duae partes psalmi 118, unaquaeque cum *Gloria Patri* et cum sua antiphona. Quantum ex usu, et rubrica Manualis (vol. III, p. 443, l. 25) coniici licet, psalmus 118 distinguebatur hyeme in duas partes, secunda incipiente a ℣ *In aeternum Domine,* etc., quae tertium, ut modo dicitur, nocturnum constituebat: tempore aestivo vero, in quattuor partes; primae duae dicendae in uno Sabbato, illo hebdomadae primae (ut more ambrosiano dicitur), aliae in Sabbato hebdomadae secundae; et in casu quattuor partes sic respective inchoabantur:

I. *Beati immaculati* II. *Memento verbi tui*	Sabb. hebd. I.
III. *In aeternum Domine* IV. *Mirabilia testimonia*	Sabb. hebd. II.

Haec psalmodia Sabbati ad Matutinum, sicut et illa *communis* aliarum Feriarum (de qua statim dicturus sum), nunquam omittebatur, neque omittitur, occurrente quocumque festo, quod non recenseatur inter *Domini Solemnitates*.

Pro psalmodia matutina ceterarum hebdomadae Feriarum Manuale ambrosianum assignat psalmos a I ad CVIII, quos tamen dividit in decem sectiones, unde hae sectiones recte *Decuriae* vocantur, quas in *Psalteriis* non rubrica alia, sed aliquando (ex. gr. in codd. *V*, *W*, *M*) litterae capitales elegantius ornatae denotant, positae ad initium psalmi primi cuiusque sectionis, quae, ut patet ex indicationibus in Manuali positis ubi de *Commune Feriarum* (vol. III, p. 430 et seqq.), subdividitur in tres partes cum suo *Gloria* et antiphona post quam, ut supra dixi, adduntur tres *Kyrie eleison* cum ℣ *Benedictus es Deus*. ℟ *Amen* (cf. *Expositio Matut. off.*). Harum sectionum quinque pro Feriis II, III, IV, V et VI unius hebdomadae, et quinque pro similibus Feriis alterius hebdomadae, per orbem assignatae sunt, ut indicat paradigma quod statim subiicio, ut clarius intelligatur ratio ordinandi hanc psalmodiam, quae ex usu sacerdotibus ambrosianis notissima est, et quotidie observatur, nisi occurrentibus Solemnitatibus Domini, aut psalmodia propria pro Feriis Exceptati et Authenticae, necnon septem diebus post Nativitatem Domini.

Hebd.	I	Fer.	II	*ps.*	1-8	*ps.*	9-12	*ps.*	13-16	Decuria	I
»	»	»	III	»	17-20	»	21-25	»	26-30	»	II
»	»	»	IV	»	31-33	»	34-36	»	37-40	»	III
»	»	»	V	»	41-43	»	44-46	»	47-50	»	IV
»	»	»	IV	»	51-54	»	55-57	»	58-60	»	V
»	II	»	II	»	61-64	»	65-67	»	68-70	»	VI
»	»	»	III	»	71-75	»	76-77	»	78-80	»	VII
»	»	»	IV	»	81-84	»	85-87	»	88-90	»	VIII
»	»	»	V	»	91-93	»	94-96	»	97-100	»	IX
»	»	»	VI	»	101-103	»	104-105	»	106-108	»	X

In Feriis vero de *Exceptato* (vol. III, p. 45; cf. *Beroldus*, o. c., p. 67 et seqq.), in Nativitate Domini et se-

quentibus diebus usque ad diem I mensis ianuarii (p. 56 et seqq.), in Epiphania (p. 87) necnon in Feriis *in Authentica* (p. 175 et seqq.) loco psalmorum de Communi, assignantur psalmi proprii, in praedictis solemnibus alternandi cum canticis communibus, et unusquisque cum suis *Gloria Patri,* antiphona, etc., sicut perpetuus usus ambrosianus suadet. In Matutinis Nativitatis, Epiphaniae, Feriae VI in Parasceve (p. 184) et Officii defunctorum (quod tamen a Romano Breviario mutuatum est, cf. vol. III. p. 488) psalmi proprii dividuntur per *turmas*, quas modo vocamus *nocturnos*.

Post psalmodiam sive propriam sive communem supra descriptam, et post singulas *turmas* (nempe post ℣ *Benedictus es Domine*, ℟ *Amen*) succedunt tres lectiones, duobus ℟℟ alternatae, nam in Matutino ambrosiano nunquam tertiae lectioni subnectitur ℟.

Lectionum selectio non indicatur in Manualibus, sed Beroldus (o. c., p. 39, l. 15 et seqq.) ampla rubrica ostendit, quae, ut ex Lectionariis sive Bibliis ad usum liturgicum adhibitis argui potest, iam ante saec. XI observabatur. Ante lectionem lectoribus benedictio impertiebatur, ut iam supra vidimus, nulla adhibita peculiari formula: hae formulae, quantum ex silentio codd. deduci potest, post saec. XIII obtinuerunt, licet non ignorem quod in cod. *V.*, in *officio parvo B. M. V.*, ex romanis libris et ad usum ambrosianum aptato et inibi transcripto, formulae benedictionis ante singulas matutini lectiones legantur. Sed quidquid sit de his benedictionibus, quae serius in Breviariis ambrosianis saeculi XV definitae occurrunt (cf. Brev. ambr. an. 1490), advertere placet, ordinem lectionum in Beroldo recensitum probabilius esse derivatum a *can.* Sancta romana Ecclesia, *dist. 15,* potiusquam ab antiquissimo usu ambrosiano; nam Ordo beroldianus diversis temporibus assignat lectiones nonnullorum librorum, qui iam ab aevo s. Ambrosii solemniter legebantur, et adhuc leguntur, statis diebus, nempe: *Genesis* et *Proverbia* in Feriis quadragesimalibus, exceptis Sabbatis; *Tobias* et *Iob*, Feriis II, III et IV in Authentica; et *Ionas*

in Coena Domini; quin dicam de partibus illis libri *Exodi*, quae canuntur in Missis Dominicarum quadragesimalium *de Samaritana*, de *Abraham*, de *Caeco*, et de *Lazaro*. Harum lectionum perpetuus usus probatur nedum a *Manuali* (cf. p. 126, et seqq.; p. 176 et seq.) sed a Lectionariis et Missalibus ambrosianis saec. IX-XI (cf. *Beroldus*, o. c.).

Diversas rationes concludendi lectiones, quae in notis manu saec. XIV-XV appictae sunt in marginibus cod. *U* (v. sup. p. 25), et in Breviariis an. 1490, et seqq. etiam post reformationem (cf. *Brev. ambros.; Rubr. gen.* § 28) praescriptae sunt, post saec. XII obtinuisse deducitur ex silentio Theodori et ipsius Beroldi.

Licet in saepe memorata Theodori *Expositione* (Amalarii explicationibus referta) dicatur quod ultima lectio finem imponat *Nocturno*, tamen officii partes quae post eandem sequuntur, et nunc vocantur *Laudes*, ante reformationem Breviarii (ut ipse Theodorus et rubrica Brev. ambr. an. 1490 docent) statim inchoabantur imponendo antiphonam in cant. Zachariae, *Benedictus Dominus Deus Israel*, etc. (1), nullo interposito ℣, neque *Deus in adiutorium*, etc., ut praesens rubrica statuit, distinguendo Matutinum in duas partes, *Nocturnos*, et *Laudes*. Haec distinctio adhuc in Statutis Capituli metropolitani, ab antiquis derivatis, non obtinet, ita ut si quis ad unam harum partium non interfuerit totam amittit distributionem, quae statuta est una et indivisibilis pro Matutino.

In *Manuali* ambrosiano schema officii ad *Laudes* (ut vulgata voce utar) pro omnibus Festis, sive Domini, sive B. M. V. et Sanctorum, ponitur in *Proprio Dominicarum*, ad Dom. I

(1) Loco cant. *Benedictus Dominus Deus Israel*, etc., Dominicis Adventus, in Nativitate, Circumcisione et Epiphania Domini, canitur cant. Deuteronomii *Attende caelum*, etc. (v. infra, in *Psalterio*, p. 171); et in Dedicatione ecclesiae maioris, Dominica III octobris (vol. III, p. 362) cant. Ionae, *Clamavi ad Dominum*, etc.; canticum Zachariae cum sua antiphona penitus omittitur in Feriis hebdomadae *in Authentica* (p. 175 et seq.) ut etiam Beroldus (o. c., p. 98, l. 17) et rubrica ma. saec. XIV in cod. *U* (v. supra p. 26) clarius indicant.

post Pentecosten (vol. III, p. 414 et seqq.), tamen cantica et psalmi requirendi sunt in Psalterio; pro Feriis vero et Sabbatis, sive communibus sive propriis, ordo uniuscuiusque diei habetur in Communi Feriarum (pp. 430-445): ubi praesertim *orationes secretae* et *completoria* requirenda sunt, et quandoque etiam alia nonnulla, ut in officiis Dominicarum, ac Feriarum, et etiam Sanctorum, quando in proprio seu in eorum communi desiderantur quae ex usu supplebantur memoriter.

His praenotatis, summatim exponam Laudum ordinem qui duplex considerari potest: solemnior pro omnibus Dominicis et Festis; et minus solemnis pro Feriis et Sabbatis. In solemniori ordine, post *Benedictus* cum sua antiphona, quae semper concluditur cum tribus *Kyrie eleison,* ut perpetua traditio ambrosiana docet observari ad omnes antiphonas post cantica seu psalmos etiam in Laudibus (cf. *Brev. ambr.* an. 1490, et *Rubr. gen. Brev. ambr.* reformati, § 36) canitur antiphona *ad Crucem*, quinquies vel septies iuxta ritum in *Expositione* Theodori et Beroldo descriptum (cf. *Beroldus*, p. 40 et seqq., et inibi not. 36-39).

Post antiphonam *ad crucem,* semper (exceptis Nativitate et Epiphania) dicitur oratio I secreta *in Cantemus* (vol. III, p. 414) quam archiepiscopus vel sacerdos concludit, elata voce ad verba *Una cum sancto Spiritu in saecula saeculorum.* ℟ *Amen* (cf. *Beroldus,* p. 43, l. 36): et successive sequuntur *Cantemus* (v. *Psalt.,* p. 175), oratio II secreta in *Benedicite* (vol. III, p. 414), et cant. *Benedicite* (v. *Psalterium,* p. 176) cum sua antiphona; quae omnia respective concluduntur modis supra descriptis.

Minus solemnis ordo Feriarum et Sabbatorum, omittit ant. ad Crucem, *Cantemus* et orationes secretas supra notatas, et statim post *Benedictus* (vel post lectiones in Feriis hebdomadae in Authentica) ponit unam orationem secretam (vol. III, p. 431 et seqq.) propriam diei, quae elata voce concluditur ut supra; cui subnectitur psalmus quinquagesimus (mss. habent rubricam: *limo* (sic), qua sigla semper in-

dicatur psalmus 50 *Miserere*), vel in Sabbatis psalmus 117 (vol. III, p. 444), uterque cum sua antiphona, post quam ter *Kyrie eleison:* et sacerdos salutat ℣ *Dominus vobiscum*, qui est primus occurrens in Matutino (v. *Expositio* Theodori).

Expositio Theodori, et ipse Beroldus hoc loco ponunt *unam orationem* quae *palam dicenda est* (v. *Beroldus*, p. 44); sed cum Codex noster *R*, absque ulla distinctione, in communi Dominicarum et Feriarum ponat *tres orationes*, diversas pro singulis hebdomadae diebus (vol. III, pp. 415, 431 et seqq.) successive dicendas, quarum secunda et tertia in cod. *M* (v. notas in variantibus ad loc. cit.) aliquando, non semper, praeseferunt rubricam *Alia in quadragesima*, dicendum est hac in parte Manuale nostrum tenere ordinem antiquiorem saeculo XI (cui aetati probabiliter assignanda est *Expositio* Theodori), et antiquissimae solemnisque *triplicis* precationis formas exhibere, quae occurrit in *Testamento D. N. I. C.* (l. I, c. XXVI *Laudatio aurorae*) cuique alludunt *Constit. Apost.*, l. II, c. 59, uti advertit Pitra (ib. n. 23). Usus ambrosianus vigens in Quadragesima, auctoritate cod. *M* firmatus, loco communis orationis primae ponit orationem propriam; hinc concluderem quod probabiliter etiam in aliis officiis, quae in propriis de Tempore seu Sanctorum occurrunt, post primam orationem propriam officii succederent duae communes singulis hebdomadae diebus assignatae (vol. III, pp. 415, et 431 et seqq.), quemadmodum communes sunt psalmi ante lectiones legendi, sed pro singulis hebdomadae diebus determinati. Sed quidquid sit de hac hypothesi, ulterius progrediar.

Absoluta oratione, et populo respondente *Amen*, succedunt psalmi 148, 149, 150 et 116; hic ultimus psalmus expresse indicatur tantum in *Expositione* Theodori; sed perpetuo usu ambrosiano adhuc vigente plane probatur. Psalmos huiuscemodi, canendos sub una antiphona, in Manuali indicat rubrica illa *in Laudate*, cui supponitur veluti alia antiphona, dicta *capitulum*, quae tamen tono ipsius psalmi (ut indicant Antiphonaria) canenda est post *Gloria Patri* quo

psalmus 110 concluditur, sed ante antiphonam *in Laudate*, quae integra succinitur et concluditur tribus *Kyrie eleison*, ut perpetua traditio ecclesiae metropolitanae, rubricis Brev. ambr. anni 1490 firmata, observat; insuper sive ante sive post psalmos huiusmodi dicitur ℣ *Dominus vobiscum*, ut Beroldus innuit.

Hoc loco peculiaris ritus ecclesiae maioris, qui non ante saec. XIV ad universas ecclesias derivatus est (cf. supra, p. 25, notas ma. saec. XV inscriptas in cod. *U*) commemorandus occurrit, et expresse exponitur in Beroldo (*o. c.*, p. 85, l. 5 et seqq.): « Finitis orationibus, antequam sacerdos vel pontifex salutet (℣ *Dominus vobiscum*), primicerius lectorum dicit leni voce cum lectoribus suis psalmum unum cum octo versibus (intellige ℣℣ 8 psalmi 118) cum antiphona, incipiens a *Beati immaculati*, usque in ramos palmarum, praeter diem Sabbati et Dominicum ». Rubrica beroldiana nulla indiget animadversione, proinde sufficiat haec notare lectori, qui in Manuali (vol. III, p. 125 et seqq.) adire poterit variantes lectiones et additiones ex cod. *M* desumptas, quae referuntur ad hanc ecclesiae maioris psalmodiae partem, *scrutiniis* catechumenorum forte coniunctam.

Absoluta antiphona *in Laudate* cum tribus *Kyrie*, ut Theodorus et Beroldus (*o. c.*, p. 44, l. 21 et seq.) indicant, pontifex aut presbyter salutat (℣ *Dominus vobiscum*) et incipit psalmum « quem directum noncupamus, et sine antiphona canimus. Idcirco etiam directus appellatur, quia neque secundum antiphonam tonus modulatur, neque versiculatim choris alternantibus canitur, sed cursim simulque in unum ab omnibus usque in finem cum *Gloria* sanctae Trinitatis, ut a vulgo non possit discerni finis cuiusque versus, vel eius distinctio » (*Exposit. Theodori*, etc. in fine). Psalmus directus, nisi proprius indicetur, est requirendus pro Dominicis et Solemnitatibus Domini in Communi Dominicarum (vol. III, p. 415) pro Feriis in Feriali (p. 431 et seqq.) et pro Festis Sanctorum indicatur in Communi Sanctorum (p. 376

et seqq). Expositio Theodori, utpote mutila et imperfecta, hoc loco explicit.

Finito *Glória Patri,* post psalmum directum, quotidie, excepto Sabbato sancto (vol. III, p. 197, l. 25), canebatur Laus angelorum magna, sive hymnus *Gloria in excelsis Deo* (ib. p. 415 et seq.) post quam dicebatur doxologia: « Gloria et honor Deo Patri, et Filio et Spiritui sancto, sicut erat in principio et nunc et semper et per omnia saecula saeculorum Amen ».

Laus Angelorum magna et antiqua doxologia in reformatione Breviarii ambrosiani, nescio qua de causa, reprobatae fuerunt, licet commendarentur antiquissimis documentis (prima enim omnino similis est hymno matutino qui in *Constitutionibus Apostolicis,* l. VII, c. 47, legitur; altera a communi doxologia diversa, omnino affinis est illi quae in iisdem Constitutionibus, l. VIII, c. 12, refertur) sed non mireris, nam iam ante saec. XI nulla est memoria recitationis *Beatitudinum,* quae ex indiciis ipsius Ambrosii hoc loco fortasse dicebantur [1].

Post *Gloria et honor Deo,* absolute incipitur hymnus: dixi absolute, nam Beroldus, et perpetuus usus haec suadent, contra rubricam quam cod. *R* (vol. III, p. 197, l. 26) ponit post psalmum directum in Matut. Sabbati sancti, ex qua ante hymnum dicendus est ℣ *Benedictus Dominus, qui vivit et regnat in saecula saeculorum* (p. 187, l. 12) qui a Tertia Fer. VI in Parasceve ad Nonam Sabb. sancti tenet locum ℣ *Dominus vobiscum.* Nisi proprius habeatur hymnus, quotidie hymnus *Splendor paternae gloriae* (p. 416) dicendus est.

(1) Thomasius in calce Psalterii (ed. Romae 1697, p. 762) advertit: « In Psalterio graeco vetustissimo, maioribus litteris scripto, Bibl. Vatic. n. 341, cantica et *hymnum matutinum* (Gloria in excelsis) hae *beneditiones immediate sequuntur* »; et s. Ambrosius, in *ps. 118, serm. 19, n. 32*: « mane festina et ad ecclesiam defert primitias pii voti.... Quam iocundum inchoare ab hymnis et canticis, a *Beatitudinibus,* quas in Evangelio legis! Quam prosperum, ut te sermo Christi benedicat, et *dum recantas Domini benedictiones*, studium alicuius virtutis adsumas... ».

Hymno antiquitus absolvebatur psalmodia matutina in choro, et hac de causa antequam clerus, ut in Vesperis, pergeret ad baptisteria, dicitur *Kyrie eleison* duodecim vicibus, alternis choris (cf. *Beroldus*, o. c., p. 44, l. 28 et seq.).

Exceptis Feriis hebdomadae in Authentica, in quibus ante duodecim *Kyrie* canitur ℟ *graduale* (de quo statim tractabo) in ceteris officiis, sive festivis sive ferialibus, semper habetur psalmodia peculiaris in baptisterio, quibus Matutinum absolvitur.

Accedentes ad baptisterium, ut passim rubrica Manualis indicat et Beroldus explicat (*o. c.*, p. 44, l. 34), cantores vicissim canebant, diebus festis antiphonam cum *Gloria* (quae ideo *psallenda* dicitur), in Feriis vero ℟ commune, serius *gradale* vocatum, quod passim in cod. nostro et in aliis indicatur etiam per siglam *mat.*, cuius interpretatio pluribus probata audit *matutinum*, licet forte legi posset *in at-rio*, quasi dicatur ℟ esse canendum extra fores ecclesiae, eundo ad baptisterium, quemadmodum in festis *psallenda* canitur. Sed non hic immorandum; potius ex indiciis in codd. *R* et *M* animadvertendum, *graduale*, quod adhuc servatur in omnibus Feriis quadragesimae, olim cantatum fuisse in omnibus Feriis anni. Hoc mihi suadet cod. *M*, qui in Communi Feriarum, sive *cottidianis diebus* totius anni, ad singulas Ferias, ante ℟ *in baptisterio*, habet ℟ *graduale* diei proprium, quod tamen ex industria fuisse omissum in cod. *R* patet ex facto quod idem amanuensis qui in Feria II (cf. vol. III, p. 431, l. 26 et seq.) ex originali descripserat « *mat.* Conserva, etc. » in reliquis Feriis, suis locis omisit hunc cantum : unde dicendum iam ante saec. XI, in hac parte officium ambrosianum breviatum fuisse, servato *graduali* pro Quadragesima tantum; ut et ipse Beroldus contra fidem cod. *M* (v. vol. III, p. 434 et seq. variantes lectiones huius codicis) aperte declarat (*o. c.*, p. 85, l. 22 et seqq.).

Ordo psalmodiae in baptisterio fere adamussim est idem iam descriptus qui servatur ad Vesperas. In Feriis, cantato ℣ *Dominus vobiscum*, canuntur ℟ cum oratione (non

intonata), et ℣℣ 4 unius psalmi cum *Gloria* et antiphona, quam complet (unde vox *completorium;* in aliquibus codd. dicitur etiam *capitulum*) versiculus, proprius diei vel officii, cum oratione (non intonata): quae omnia vel in Proprio de Tempore, vel in Communi Feriarum per extensum inveniuntur. Dominicis diebus, tempore hyemali praesertim, post haec, eundo de baptisterio marium ad baptisterium puellarum, canebatur alia *psallenda* cum suis *completorio* et oratione, quibus absolvebatur Matutinum, additis ℣℣ consuetis, ut in fine cuiusque psalmodiae (v. supra, ubi *de Vigiliis*).

In omnibus Solemnitatihus Domini, Dominicis post octavam Paschatis, et in omnibus festis Sanctorum (non tamen in ceteris Feriis per annum) nisi aliter indicetur in *Proprio,* Statio in baptisterio brevius absolvebatur, omissis nempe ℟ cum oratione et ℣ 4 psalmi: sed cum haec adhuc serventur, et fusius explicentur in Breviariis ambrosianis, ad ea remitto lectorem, ubi officia propria et communia per extensum sunt edita, et explicantur etiam *Rubricis generalibus* passim.

De Horis minoribus. — Iam matutinae psalmodiae ordinem digessimus; nunc de sequentibus videamus.

Primam et *Completorium* quotidie uno eodemque ordine dicenda esse Manuale (vol. III, pp. 446-453) et perpetuus usus ambrosianus ostendunt: sed in *Tertia, Sexta,* et *Nona* (pp. 449-452) sunt partes, quas dicunt mobiles, communes post psalmos (*epistolella,* ℟ *breve, capitulum* et *oratio*) quae, in Dominicis (et forte etiam in Feriis) Adventus, solemnioribus Festis D. N., et Feriis quadragesimalibus, a partibus propriis substituendae sunt (pp. 455-462). Cum neque in *Proprio* neque in *Communi* Sanctorum in codd., saltem usque ad saec. XIV, nil inveniatur pro officio Sanctorum ad Horas, concludi debet, illas partes mobiles de Sanctis seriori tantum aetate et privata devotione invectas fuisse; quae tandem, auctore archiepiscopo Francisco Pizzolpasso, post annum 1440, in omnibus Breviariis annotatae fuerunt (cf. *Const. Archiep. circa reformat. officii ambr.*).

Ordinem Horarum, qui ex textu cod. *R* non constat, nam in veteri Manuali *R* fuerunt omissa plura quotidiano usu notissima, per extensum praebet cod. *M*, sive *Beroldus novus*, cuius variantes lectiones in calce cod. *R* (*l. c.*) diligenter transcripsi: supervacaneum itaque erit eas notas hic repetere; tamen iuverit animadvertere, quod constat ex rubricis (*Rubr. gen.* § 31) Breviarii ambrosiani reformati (in hac parte antiquis Manualibus consoni, et antiquissimae perpetuaeque traditionis testis) nempe ad Tertiam, Sextam et Nonam communes orationes propriis cedere; et in casu, oratio prima Matutini dicitur ad Tertiam, secunda ad Sextam, et ultima de Vesperis ad Nonam (cf. vol. III, p. 458 in notis).

His animadversionibus lector facile deprehendet quam parum ordo Horarum, in Breviario ambrosiano servatus, ab antiquae psalmodiae ordine discedat; et collatione instituta cum codd. *R* et *M*, notabit sive additiones parvi momenti saec. XVI factas, sive novam rubricam invectam pro Dominicis, Festis et ipsis Feriis paschalibus, quae statuit omittendas *Preces* inter capitulum et orationem a cod. *M* praescriptas (cf. Mazzucchelli, *Osserv. sopra il rito ambrosiano*, pp. 78 et seqq.).

De Litaniis post Tertiam. — In Feriis II, III et IV *de Exceptato* (vol. III, pp. 47-50) et omnibus Feriis IV et VI quadragesimae, excepta hebdomada in Authentica (pp. 129-166), post Tertiam clerus metropolitanus ad stationem pergebat de ecclesia hyemali in aestivam, canendo antiphonas cum Sanctorum Litaniis et orationibus, eo ordine quem a cod. *M* in notis ad Manuale (ll. cc.) diligenter transcripsi. Huius supplicationis ratio, nec a Beroldo (*o. c.*, p. 89), nec ab aliis auctoribus, quantum scio, traditur; sed inspectu textu antiphonarum et orationum, forte hac Litaniae, ut Scrutinia pro catechumenis, pro poenitentibus publicis (1)

(1) Ad poenitentiae publicae disciplinam profecto pertinent tria ℟℟ diaconorum cum orat. *Opitulare Deus inopibus*, etc. (vol. III, p. 130 et seq.) quae dicuntur in Quadrag. ad Vesp. cuiusque Fer. IV.

destinatae erant; et hac de causa explicatur quod in Manualibus exaratis ante saec. XII non reperiantur suis diebus inscriptae, sed tantum ad calcem codicis additae, at non semper (ex. gr. codd. *R S Z*), utpote quae in aliis ecclesiis nondum receptae.

Breviarium ambrosianum reformatum, qui in his convenit cum cod. *M* (cf. ex. gr. vol. III, p. 47 *in nota*) ante et post utramque orationem, quae in hisce supplicationibus canebantur, ponit ℣ *Dominus vobiscum*, quem codd. omiserunt quia supplebatur iuxta praxim pro omnibus orationibus in tono canendis. Dies stationales Ferr. IV et VI, antiquitatem huius psalmodiae quadragesimalis suadent, licet antiphonae et preces, ab officio *Tridui Litaniarum* mutuatae, non dubia praebeant indicia reformationis sequutae inter saec. V et XI (antiquiora saec. XI documenta non extant) quo tempore probabiliter etiam ℟℟ post lectiones in Matutinis Feriarum quadragesimalium ab eodem officio Tridui Litaniarum fuerunt desumptae. Sed haec, quae in alia sede tractanda sunt, sufficiat indicasse, ut in examine Manualis ambrosiani lector expeditior evadat: nec certe ei effugiet inobservata forma ipsa invocationis Sanctorum, quae a dypticis singularum ecclesiarum pendens (cf. Litanias in Triduo Litaniarum: vol. III, pp. 245-267) servat etiam antiquissimum ordinem praecedentiae Virginum super Confessores (qui ultimo loco invocantur, quippe eorum cultus liturgicus post saec. IV invectus) cum invocatione *intercede pro nobis,* cuius exempla extant etiam, in cod. Vat. saec. XI, sign. n. 4770, in Litania tertia edita a Vezzosi in tom. V opp. ven. Thomasii; apud Gerbert, *Vet. Monum. liturg. Aleman.,* t. II, p. 90; et in lib. XI *Italicar. et Ravennatar. historiar.*, auct. Hier. Rubeo (in *Thesauro antiq. et histor. Italiae,* t. VII, p. I) ubi pag. 887 legitur: « Litaniae conventus presbyterorum parochialium civitatis Ravennae: quae de graeco in latinum translatae sunt *(sic)*.... *Sancta Maria* III: *Intercede pro nobis.... Omnes Sancti et Sanctae Dei: Intercedite pro nobis....* (et concluduntur) *Miserere nobis, Do-*

mine. ℟ *Miserere nobis* III. *Kyrie eleison* III ». Haec exempla hoc loco ideo transcripsi, ut probarem antiquitatem partium prooemialis et finalis omnibus litaniis communium, quae semel in cod. *R* (vol. III, p. 246) per extensum indicatae, in ceteris litaniis etiam in aliis codd. desiderantur, quippe supplendae ex usu, cuius est optimus testis etiam Breviarium ambrosianum reformatum, quod easdem partes in singulis litaniis (uti videre est in omnibus editionibus) per extensum ponit, ne ambigendi locus clericis restet.

De Triduo Litaniarum. — Ultra stationes, *ad baptisterium* in Vesperis et Laudibus, ad *ecclesiam aestivam* post Tertiam in Feriis supra notatis, et ad alias ecclesias *in Vigiliis*, etiam ambrosianus clerus peragebat stationes, non ante sed post Ascensionem, in Triduo Litaniarum (quae in nonnullis codicibus usque ad saec. XV dicebantur *Litaniae maiores;* dum e contra illae diei XXV aprilis assignatae vocabantur *Litaniae s. Gregorii,* cf. *Beroldus*, p. 122 et not.) quarum officia, ab aliis stationibus prorsus diversa, codex noster integra exhibet, exceptis Lectionibus et Evangeliis quae in propriis libris reperiebantur, et quarum initia in meis notis ex cod. *M* transcripsi (vol. III, pp. 245-268).

Ordo horum officiorum, quem Beroldus (p. 118) summatim exposuit (et lectori alioquin obvius esset in omnibus libris pluries editis ad usum cleri ambrosiani, titulo *Litaniae maiores et triduanae,* etc., qui et ipsi perpetuae et nunquam interruptae usque ad annum 1862 traditionis sunt testes) bene constat ex codice nostro *R* et ex additionibus a cod. *M* derivatis. Ingrediente clero ecclesiam, ut in aliis stationibus, *duodecies* canebatur *Kyrie eleison* cum *Letania Sanctorum* (cf. vol. III, p. 246), post quam sacerdos in tono, cum ℣ *Dominus vobiscum* ante et post, dicebat orationem unam ex *rotulo Litaniarum* desumptam (quae tamen in Manuali nostro suis locis per extensum ponitur) cui succedebant duae lectiones, una ex Veteri Testamento cum suo ℟, altera ex Evangelio, solemniter, ut in Missa, a Diacono cantata cum ℣℣ consuetis; post quam ℣ *Dominus vobiscum* ℟ *Et cum*

spiritu tuo et tribus *Kyrie eleison* statio absolvebatur; et egredientibus de ecclesia, praecinebatur antiphona, quae cum aliis, si longior iter requirebant, canenda erat in processione ad sequentem ecclesiam.

Haec quae in singulis stationibus similiter peragebantur, addita tantum Missa diei (cf. *Missale ambros.*) canenda in una basilica urbana, omnino convenire cum illa parte Missae, quae vulgo dicitur *Missa catechumenorum,* nemo non videt: et proinde lector antiquitatem dignoscet huius ordinis, qui probabilius dicendus est coaevus instituti supplicationum *Tridui litaniarum,* quas auctores mediolanenses una voce episcopo s. Lazaro (438-449) assignant, licet non desint indicia alicuius serioris reformationis, quae inter saec. VIII et XI facta est, in delectu ecclesiarum visitandarum, non tamen in ipsis precibus distribuendis: ut argui posset, inpectis orationibus, *quae dicendae sunt in Litaniis* (in codd. ambr. *A 24 bis inf.,* saec. IX, et *A 24 inf.* saec. X) et ℟℟ in Matutinis Feriarum quadragesimalium; quae orationes et ℟℟ éadem et eodem ordine sunt digesta, quem tenent in Tridui Litaniarum officiis, in quibus tantum desiderantur tres orationes et tria ℟℟ ante diem III; et proinde probabiliter adscribenda stationibus diei II, qui revera habet tantum novem stationes, dum e contra diebus I et III in omnibus codicibus ecclesiae stationales duodecim, tum uno tum altero die, visitandae assignatur. Haec, data occasione, observanda duxi, ut in parte corrigantur quae de Triduo Litaniarum in Ecclesia mediolanensi scripsit Fumagalli, vir ceteroquin doctissimus (in *Antichità longobardico-milanesi,* Mediolani 1793, t. III, Dissertat. XXVI, p. 229 et seqq.).

De Agenda Defunctorum. — Etiam in codicibus ambrosianis voce *Agenda* indicantur preces ad funus ducendum, officia mortuorum ad Vesperas, ad Matutinum et ad Laudes. De his in primis animadvertenda est forma officiorum ad Vesperas et Matutinum cum Laudibus (vol. III, pp. 487-491) omnino a ceteris similibus officiis ambrosianis discrepans, quae prodit suam originem romanam: proba-

biliter saecc. VIII et IX haec officia accesserunt ad Manuale ambrosianum, a quo tamen, contra oeconomiam in ceteris officiis servatam, aberrant cantus *ad Missam* (licet iam orationes et praefationes propriae inveniantur in codd. ambrosianis saec. IX) qui romani ritus, a quo sunt derivati, caracteres conservant praesertim in *Ingressa,* et *Agnus Dei.* Sed quidquid sit de aetate, quo Manuali ambrosiano accesserunt haec mortuorum officia, de his mihi sufficit animadvertere quod in cod. *R* (l. c.) nihil deest pro huiusmodi psalmodia, si excipias tantum in Vesperis et Laudibus *orationem post preces,* quae praemisso ℣ *Dominus vobiscum,* ex his quae praecedunt (p. 479-482) erat sumenda et tono recto dicenda; cui, uti indicant additiones secundae manus in antiquis codicibus passim appictae, in fine addendi sunt ℣℣ *Requiem aeternam,* etc. *Anima istius,* aut *Animae istorum,* etc., quibus ex perpetuo usu in codicibus liturgicis editis concluditur quodcumque officium pro mortuis.

Disserendum nunc potius de Ordine *ad funus ducendum.* Additiones et reformationes successu temporum factae (cf. *Excerpta,* infra edita) obfuscare quidem, sed non omnino delere potuerunt primam huius ambrosianae psalmodiae formam; et hanc etiam inter discrepantias codicum *R*, *T 96,* *M* et **m** indagare iuverit, ut funebrium ambrosianorum rituum, quos tenemus a saec. XVI, ratio clarior innotescat; praesertim cum ipsi nunc, contra id quod observatur de Missa et officio proprie dicto, omnino a Romano sunt diversi.

Ad rem, in funere ambrosiano iuverit distinguere quinque partes, quas, fretus auctoritate nonnullorum codicum, ita vocarem:

I. Psalmodia *ad domum defuncti.*

II. *Psallentium* quando corpus portatur *ad ecclesiam:* incipit ant. I *Exaltabo te,* etc.

III. Psalmodia *in ecclesia.*

IV. *Psallentium* de ecclesia *ad sepulcrum:* incip. *Usque in vita,* etc.

V. Psalmodia *ad sepulcrum.*

Collatis codicibus saecc. XI-XIII, partes II, IV et V fere adamussim eodem ordine iisdemque precibus digestae apparent; dum e contra codices inter se non conveniunt quoad partes I et III, quae successive reformatae apparent. Mihi harum varietatum rationem inquirenti, nulla alia suppetit praeter sequens ex cod. ambr. *T 96 sup.* et ex nostro cod. *R* licet mutilo (cf. vol. III, pp. 479-484, l. 18) derivata: nempe quod ipsa pars III (quantum ex codd. argui potest) usque saec. XII absolveretur in domo defuncti, et hac de causa fuerit obnoxia varietatibus, ex quibus maturius forma Ordinis ad sepeliendum derivata est, quae tamen primaevae psalmodiae, ut videbimus, vestigia retinet.

Et revera codex noster *R* ante *psallentium quando corpus portatur ad ecclesiam* stylo omnium Vigiliarum distributa ponit easdem antiphonas cum psalmis, et eadem ℟℟ *mortuorum* quae monachi s. Ambrosii, pro suo instituto, canebant *post lavationem corporis*, uti in cod. ambr. *T 96 sup.* videri potest, qui tamen post psallentium iam habet antiph. orat. *Obsecramus,* et Evang. s. Ioannis de resurrectione, utpote dicenda in ecclesia (v. *Excerpta*), quae omnia in cod. *R* (v. pp. 483-4) praecedunt.

Huius psalmodiae, quam proprie *Vigiliarum* nomine distinguerem, usum fuisse generalem, saltem provinciae ecclesiasticae mediolanensis, mihi suadet, non modo codex Monachorum s. Ambrosii, sed etiam Rituale *monasterii s. Lanfranchi Papiensis* (cod. saec. XII in Bibl. Trivultiana, sign. 512) qui habet ordinem Vigiliarum omnino similem ordini codicis nostri *R,* uti videri potest ex summario seq.:

(fol. 44 et seq.) « Nocturnae vero vigiliae ita agantur a fratribus. A priore in tabula scribantur, et collatione finita, coram omnibus legantur. Finito Completorio, fratres qui in prima vigilia descripti sunt psalterium incipiant. Cum vero secundae vigiliae tempus advenerit, unus ex illis pergat in dormitorium cum lumine, et fratres secundae vigiliae moderate excitet, et sic fiat in ceteris vigiliis.

« Sequitur ordo Romanae ecclesiae de officio defunctorum, quomodo custodita esse debent corpora mortuorum.

« Cantetur psalterium per decadas:

« a *Beatus vir* usque *Salvum me fac Domine*. Sequitur ℟ *Subvenite sancti Dei*. ℣ *Suscipiat*. ps. *Miserere mei Deus*. Et dicitur *Kyrie eleison* cum capitulis. Ammonitio *(sic)*. Oratio. *Deum iudicem universitatis.... resuscitet. Per*. etc.

« Sequitur [ordo] psalmorum a *Salvum me fac Domine*, usque *Deus Deus meus respice*. ℟ *Heu mihi Domine*. ℣ *Anima turbata*. Oratio. *Deus qui universorum.... aggregari. Per*.

« Sequitur ordo psalmorum a *Deus Deus meus respice*, usque *Beati quorum*. ℟ *Ne reeorderis*. ℣ *Dirige Domine*. Oratio. *Deus ad quem.... sempiterna. Per*.

« Et sequitur ordo a *Beati quorum*, usque *Quemadmodum*. ℟ *Domine secundum actum meum*. ℣ *Amplius lava*. Oratio. *Supplices exoramus pietatem.... resurrectionis. Per*.

« A *Quemadmodum*, usque *Quid gloriaris*. ℟ *Libera me Domine de manu*. ℣ *Clamantes*. Sequitur oratio: *Deus qui in altis habitas.... potestatem. Per*.

« Sequitur ps. *mi* (sic) a *Quid gloriaris*, usque *Nonne Deo subdita*. ℟ *Utinam appenderentur*. ℣ *Quasi arena*. Orat. *Inveniat quaesumus.... sacramentum. Per*.

« A *Nonne Deo*, usque *Deus iudicium tuum*. ℟ *Peccantem me*. ℣ *Deus in nomine tuo*. Oratio. *Oramus te Domine.... extergas. Per*.

« A *Deus iudicium tuum*, usque *Deus stetit in*. ℟ *Paucitas dierum*. ℣ *Manus tua Domine*. Oratio. *Deus cui humiliter.... consortem. Per*.

« A *Deus stetit*, usque *Bonum est confiteri*. ℟ *Versa est*. ℣ *Cutis mea*. Oratio. *Deus cui competit.... numeretur. Per*.

« A *Bonum est confiteri*, usque *Deus exaudi orationem*. ℟ *Domine secundum actum*. ℣ *Amplius lava me*. Oratio. *Clementiam tuam.... in paradisum. Per*.

« A *Domine exaudi*, usque *Beatus vir qui timet*. ℟ *Adesto dolori meo*. ℣ *Interiora*. Oratio. *Adesto supplicationibus nostris.... portionem. Per*.

« A *Beatus vir,* usque *Laetatus sum.* ℟ *Memento mei.* ℣ *Cutis mea.* Oratio. *Deus ante cuius.... electis tuis. Per.*

« A *Laetatus sum,* usque *Memento Domine.* ℟ *Ne abscondas me Domine.* ℣ *Corripe me.* Orat. *Suscipe Domine.... possideat. Per.*

« A *Memento,* usque *Voce mea.* ℟ *Induta est caro mea.* (sic). Oratio. *Absolve Domine.... digneris. Per.*

« A *Voce mea,* usque finem psalterii, ℟ *Libera me Dne de viis inferni.* (Orat.) *Annue nobis.... delictorum. Per.*

« Igitur, facto mane, Missa dicta, mox omnes conveniant, et secretarius det omnibus cereos circumstantibus funeri, etc. ».

His documentis diligenter inspectis, evidenter apparet quod prima pars totius funeris (licet crebrius reformata et in formam, quam nunc a saec. XVI retinet, redacta) adhuc est reliquia illarum Vigiliarum, quibus propius accedit ordo cod. **m**, qui illius antiquissimae psalmodiae (quae habetur in utroque codice, *R,* et *T 96 sup.*) servat ℟ I et nonnulla circa finem, uti ex seqq. patet:

« *Hic incipit officium mortuorum: ad domum illorum.* ℟ Accepimus bona, etc. ℣ Quoniam sagittae, etc. (cf. vol. III, p. 479). *Oratio prima.* (℣) Dominus vobiscum. Quaesumus, Domine, famulo tuo, cuius diem primum obitus sui commemoramus, Sanctorum tuorum largire consortium, et rorem misericordiae tuae perennis infunde. Per Christum.

« *Ant. dubla.* Tu iussisti nasci me. ℣ Iussione tua venio sanctissime. *Psalmus (53).* Deus in nomine tuo (p. 483).

« *Oratio.* (℣) Dominus vobiscum. Absolve, Domine, animam famuli tui ab omni vinculo delictorum: ut in resurrectionis gloria inter Sanctos tuos resuscitatus respiret. Per Christum.

« ℟ Requiem aeternam. ℣ Et lux perpetua.

« *Psallentium quando portatur ad ecclesiam:* Exaltabo te, etc. (p. 484) ».

Elementa quibus constat tertia pars funeris, nempe psalmodia in ecclesia, deprompta ex illis Vigiliis, et ipsa confirmant hypothesim reformationis factae: et licet in cod. *R* nullae lectiones praeter Evang. s. Ioannis indicentur, quae tamen expresse indicantur in cod. *T 96 sup.* (v. infra inter *Excerpta*), cum earum usus ex Beroldo probatus (v. supra p. 45) a stylo ambrosiano alienus non sit, censerem et ipsas iam ab antiquissimis temporibus in domo defuncti usurpatas fuisse et quidem eas desumendo ex Passione Domini; nam « defunctorum officium ad exemplum officii dominicae passionis » conflatum docet illa vetus rubrica ex ipso codice *T 96 sup.* superius (p. 36) edita; et hac de causa ipsas lectiones maturius inscriptas in Ordine funerum reformato, cuius forma antiquior est illa cod. **m**, deinceps breviata pro defunctis saecularibus, uti patet in cod. *M* (cf. *Excerpta*), a quo pendent Ordines nunc in Liturgia ambrosiana editi; hos lector adire poterit in hodierno Rituali pro defunctis, quod a saec. XVII non immune fuit a serioribus correctionibus et additionibus, licet levis momenti, si excipias Ordinem pro funere infantum, a Romano Rituali derivatum.

Quoad codicis *R* Ordinem, qui ceteris antiquior ex dictis apparet, unum superest advertere quoad Missam, ne dicatur ambrosianae liturgiae funebribus olim defuisse solemnem Mysteriorum celebrationem. Etsi codex *R* inter partes II et IV (quae in codice inscribuntur, *psallentium ad sepulturam* et *antiphonae ad sepulcrum;* cf. vol. III, p. 484), neque alibi, nullum indicet cantum pro Missa emortuali, quae, ut nunc est, a Gregoriano desumpta apparet, tamen celebratam fuisse oblationem Eucharistiae etiam in Ecclesia mediolanensi saltem a saec. IV suadent documenta notissima, nempe illud s. Ambrosii in oratione de obitu Valentiniani: « Date manibus mysteria; pio requiem eius poscamus adfectu »; et narratio *Paulini* de funere eiusdem Sancti nostri Patroni, cuius corpus, *illucescente die dominico, peractis sacramentis divinis, de ecclesia* levatum fuit *portandum ad basilicam ambrosianam* (in *Vita s. Ambr.*, n. 48).

Partes, ut ℣ *Dominus vobiscum* ad orationes et similia, quae ex usu supplebantur vel omittebantur in funebri actione, cum satis indicent rubrica a me edita in descriptione codicis *T 96 sup.* (v. supra, p. 36) et *Excerpta* codd. *M* et **m**, nihil pro meo instituto addendum superest ad expositionem Ordinis ambrosiani in *Agenda defunctorum.*

Haec expositio ordinis antiquae psalmodiae, omnibus numeris absoluta profecto non est; sed, quantum video, ipsa sufficit ad probandum quod initio huius dissertationis dicebam, Breviarium ambrosianum, sicuti et ceteros libros nostri ritus, venerandae antiquitatis esse insigne et vivum (ut ita dicam) monumentum, utpote quod antiquissimos Ordines fere adamussim conservet.

CODICES
IN HOC OPERE ADHIBITI.

R. *Manuale Ambrosianum eccl. plebanae s. Victoris Vallis Travaliae:* ms. saec. XI, nunc in Bibl. Capit. Metrop. Mediolani (integre editum).

M. Manuale Ambros. dictum *Beroldus novus:* ms. saec. XIII, eiusdem Bibl. Capit.

Q. Fragmentum Manualis Ambros.: ms. saec. X-XI, olim *eccl. Lodrini in Helvetiis,* nunc in Bibl. Ambr., sign. *SH. IV, 44.*

S. Fragmentum Manualis Ambros.: ms. saec. X-XI, Bibl. March. Trotti, sign. n. 414.

T. Fragmentum Manualis Ambros.: ms. saec. X-XI, Bibl. Ambr., sign. *T 103 sup.*

U. Manuale Ambros.: ms. saec. XII, olim *eccl. s. Victoris ad Theatrum,* nunc in Bibl. Ambr. sign. *A, 1 inf.*

V. Manuale Ambros.: ms. saec. fere XI, olim *eccl. Cisnusculi,* nunc in Bibl. Ambr., sign. *I, 55 sup.*

Z. Manuale Ambros.: ms. saec. XII, olim *eccl. plebanae Brippii,* nunc in Bibl. Ambr., sign. *I, 27 sup.*

W. Manuale Ambros.: ms. an. 1188, olim *eccl. Metrop.,* nunc in Bibl. Ambr., sign. *A 189 sup.*

T 96. *Liber monachorum s. Ambrosii Mediolani:* ms. saeculi XI, nunc in Bibl. Ambr., sign. *T, 96 sup.*

m. *Rituale Sacramentorum:* ms. saec. XIII, olim *ecclesiae s. Laurentioli Mediolani,* nunc in Bibl. Capit. Metrop.

EXCERPTA
AD MANUALE AMBROSIANUM
PERTINENTIA

EXCERPTA EX COD. T.

(*Cod. Ambros.* T. 103 SUP.)

ORATIO AD FERRUM SANCTIFICANDUM.

Deus iudex iustus, fortis et patiens, qui es auctor pacis, et iudicas aequitatem, qui respicis super terram, et facis eam tremere: tu, Deus omnipotens, qui per adventum unigeniti Filii tui Domini nostri Ihesu Christi mundum salvasti, et per sanctissimam eius passionem genus humanum redemisti, ✠ sanctifica hoc ferrum *(hanc aquam)*, qui tres pueros de camino ignis accenso salvare dignatus es, et Susannam de falso crimine liberare. Tu, clementissime dominator, praesta, quaesumus: ut si hic homo innocens est de hac criminis suspicione, cum hoc ferrum manu apprehenderit *(cum in hanc aquam manum miserit)*, salvam et inlaesam eam tua virtute reducat: et si de hac causa culpabilis est, et incrassante diabolo cor induratum habuerit, et manum submittere praesumpserit, tu, iustissime Pater, sic declarare digneris in corpore eius maculam iniquitatis suae: ut per iustissimam corporis exustionem, tuum aequum manifestetur iudicium: et eo toto ad te corde converso, anima eius per poenitentiam salvetur. Nam si per aliquod maleficium aut per herbas peccatum suum tegere voluerit, tua dextera hoc evacuetur. Per unigenitum Filium tuum Dominum nostrum Ihesum Christum.

[BENEDICTIO CRUCIS].

Benedic, Domine, hoc Crucis tuae signum, per quod a potestate daemonum eripuisti mundum, et superasti passione tua incentorem peccati, qui gaudebat in praevaricatione primi hominis per vetitum lignum. ✠ Sanctificare, Domine, istud signaculum passionis tuae: ut sit inimicis

tuis obstaculum, et credentibus in te perpetuum perfice vexillum. Qui cum Deo.

Bened. Rogamus te, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, ut digneris benedicere hoc lignum Crucis, signaculum victoriae tuae: ut sit remedium singulare generi humano, sit soliditas fidei, profectus bonorum operum, redemptio animarum, protectio ac tutela contra saeva iacula inimicorum, et tutela animarum fidelium. Per.

Bened. Omnipotens sempiterne Deus, cuius sanctum et terribile nomen inter caeteras visibiles creaturas ligna quoque fructifera laudare, ac benedicere non cessant: qui in figuram unigenitae Sapientiae tuae ligni vitae a principio paradisum voluptatis ornasti, ut eiusdem fructus sacrosancti mysterio protoparentis nostris *(sic)* generis mortem cavere, et vitam monueris custodire perpetuam: qui nos vetitae arboris attactu iustae morti addictos, eiusdem coaeternae tibi Sapientiae, Dei et Domini nostri Ihesu Christi, innoxia morte ad vitam misericorditer revocare dignatus es, supplices deprecamur: ut hoc singulare signum et exemplum primi illius sacratissimi vexilli pretioso Filii tui sanguine triumphalis erectum consecramus, caelesti hoc tua benedictione sanctificare digneris: ut omnibus hic genu flectentibus ac tuae supplicantibus maiestati largior et cordis compunctio, et indulgentia concedatur admissorum; atque intercedente ipsa victoriosissima unigeniti Filii passione, et tibi placita postulare, et citius valeant postulata percipere. Per Dominum.

Bened. Da, quaesumus, clementissime Pater, in quo vivimus, movemur et sumus: ut quoties templum divinae humanitatis *(sic)* quae superbiam nostri hostis deiecit, oculis intuemur, quoties mente recolimus, et contra hostem ipsum fiduciam fortitudinis, et maiorem devotae tibi humilitatis gratiam consequamur: quatenus in illo tremendae tuae maiestatis examine, cum paventibus elementis caelorumque commotis (?) virtutibus signum illud glorificum redemptionis nostrae apparuerit in caelo, ipsi de morte ad vitam transire, ac perpetua beatae resurrectionis gaudia.... mereamur. Per.

EXCERPTA
EX LIBRO MONACHORUM S. AMBROSII

(*Cod. Ambros.* T. 96 SUP.)

INCIPIT VISITATIO INFIRMORUM.

Dominus dixit discipulis suis: In nomine meo daemonia eiicite, et super infirmos manus vestras imponite, et bene habebunt. *Sequitur psalmus.* Deus deorum Dominus.

Oratio. Sana, Domine, hunc famulum tuum *ill.,* cuius ossa conturbata sunt, et cuius spiritus turbatus est valde: convertere et sana eum spiritali medicamine, et eripe animam eius. Per.

Incipit benedictio olei super aegrotum.

Deus, qui es [1] humani generis creator; qui, depulsis cunctis doloribus nostris, salutis medicus extitisti; qui per apostolos tuos vexatorum languoribus gratiam sanitatum praestitisti; te nunc [2] supplices deprecamur: ut super hanc creaturam olei, inviolabilis virtutis tuae munus infundas; ✠ et sanctificata benedictionis tuae munere, et sancti Spiritus inumbrata virtute, quotienscumque fidelium tuorum membris infusa fuerit, confracta solidet, et languentia vegetet; quae recta [3] foveat, calefacta restinguat, [4] adtactisque [5] hominibus inferat mentis et corporis sanitatem. Per.

INCIPIT IMPOSITIO MANUUM SUPER INFIRMUM.

Dicat presbyter, qui prior est: Propitius sit nobis omnipotens et misericors Dominus, et benedicat nos. [℟] Amen. [6]

Sequitur. Deus, in adiutorium meum intende. *Seq.* Gloria Patri. *Alius.* Sicut erat in principio et nunc. All. Kyr. Christe *(sic)* eleison. Kyr.

1. qui es: *om.* m. — 2. nunc: *deest* m. — 3. vegetet.... recta: *om.* m. — 4. calef. restinguat: *om.* m. — 5. adtactumque, m. — 6. Propitius.... Amen: (characteribus rubris).

Item sequuntur Psalmi poenitentiales cum antiphonis.

I. Infirmus sum, sana me, Domine, Deus meus. ℣ Domine, ne in ira tua arguas: quoniam infirmus.

II. Sperantes in Domino misericordia circumdabit. ℣ Beati quorum.

III. Intende in adiutorium meum, Domine Deus salutis meae. ℣ Domine ne in ira tua: quoniam sagittae.

IIII. Peccavi, Domine, peccavi, et inique egi: munda me a peccatis meis; quia potens es, miserere mei. ℣ Miserere mei Deus secundum magnam.

V. Clamor noster ad te perveniat. ℣ Domine exaudi.

VI. Fiant, Domine, aures tuae intendentes in vocem orationis meae. ℣ De profundis.

VII. Exaudi me, Domine, in tua iustitia, et non intres in iudicio cum servo tuo [ancilla tua], Domine. ℣ Domine exaudi orationem meam, auribus percipe. *Sequitur letania.*

Dom. miserere	S. Mathia	S. Fortunate	Sancta Legio
Christe libera	S. Barnaba	S. Sisinnii	S. Vitalis
S. Maria	S. Marce	S. Martiri	S. Valeria
S. Michahel	S. Luca	S. Alexander	S. Aureli
S. Gabrihel	S. Stephane	S. Abundi	S. Diogenis
S. Raphahel	S. Nazari	S. Nicomedis	S. Cosma
S. Iohannes	S. Celse	S. Quirine	S. Damiane
S. Petre	S. Protasi	S. Georgi	S. Antime
S. Paule	S. Gervasi (1)	S. Theodore	S. Leonti
S. Andrea	S. Line	S. Faustine	S. Euprepi
S. Iacobe	S. Xiste	S. Iobitta	S. Sebastiane
S. Iohannes	S. Clete	S. Laurenti	S. Solutor
S. Philippe	S. Apollinaris	S. Vincenti	S. Romane
S. Bartholom.	S. Perpetua	S. Calocere	S. Babila
S. Thoma	S. Thecla	S. Christofore	S. Petre
S. Mathaee	S. Pelagia	S. Maurici	S. Laurenti
S. Iacobe	S. Victor	S. Candide	S. Firme
S. Symon	S. Nabor	S. Victor	S. Rustice
S. Taddaee	S. Felix	S. Exuperi	S. Alexander

(1) Ordo Ss. deinceps perturbatus apparet.

S. Agnes
S. Caecilia
S. Felicitas
S. Anastasia
S. Agatha
S. Eufimia
S. Iustina
S. Savina
S. Christina
S. Eulalia
S. Mustiola
S. Eugenia
S. Eufraxia
S. Marina
S. Marcellina
S. Margarita
S. Iuliana
S. Kalimere
S. Materne
S. Eustorgi
S. Dionisi
S. Aureli
S. Magne
S. Eugeni
S. Vigili
S. Geronti

S. Benigne
S. Ampeli
S. Simpliciane
S. Dati
S. Senator
S. Veneri
S. Marole
S. Cliceri
S. Lazare
S. Matroniane
S. Martiniane
S. Auxane
S. Arsatii
S. Mona
S. Sire
S. Ynventi
S. Gaudenti
S. Abundi
S. Eusebi
S. Ylari
S. Blasi
S. Martine
S. Iuli
S. Gregori
S. Paule
S. Cesari

S. Satyre
S. Benedicte
S. Antoni
S. Ambrosi
Omnes sancti Angeli
Omnes sancti Archangeli
Omnes sancti Throni
Omnes sancti *(sic)* Dominationes
Omnes sancti Principatus
Omnes sanctae Potestates
Omnes sanctae Virtutes [1]
Omnes sancti Cherubim
Omnes sancti Seraphim
Omnes sancti Patriarchae
Omnes sancti Prophetae
Omnes sancti Apostoli
Omnes sancti Discipuli
Omnes sancti Martyres
Intercedite pro nobis
Omnes sanctae Virgines
Omnes sancti Confessores
Universi gradus Sanctorum
Omnes Sancti
(℣) Exaudi Christe
(℟) Voces [nostras].

Deinde sacerdos qui prior est inter duodecim qui manus tenent super infirmum, dicat: Dominus vobiscum. *Seq. orat.*

Sanctum ac venerabile nomen gloriae tuae invoco, excelse Deus, Pater omnipotens, qui fecisti caelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt. Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob, qui in altis habitas, et humilia respicis, respice super impositionem manuum nostrarum, quam facimus super hunc famulum tuum *ill.;* quae manus spiritaliter

1. *In M m post* Dominationes: *invocantur* Virtutes.

operentur super eum. Da ei, Domine, sanitatem[1] corporis, integritatem mentis[2], longanimitatem vitae, prosperitatem in valetudine; et ab omni inquietudine inimici libera eum, qui liberasti filios Israel de terra Aegypti, Petrum de custodia carceris, Paulum de vinculis, Susannam de falso crimine, Theclam de medio spectaculo, Danihelem de lacu leonum, tres pueros de camino ignis ardentis, Ionam de profundo maris, Loth de Sodomis: ita et miserearis ei, Domine, qui misertus es civitati tuae Ninive, in qua commorabantur plusquam centum viginti milia hominum. Domine, sis ei adiutor et protector atque defensor, sicut fuisti puero tuo David ad expugnandum Goliad: et aperi oculos cordis eius ad cognoscendam voluntatem tuam, sicut aperuisti oculos capitis Tobis *(sic)* ad videndum visibilia: taliter ut perducas eum ad regnum tuum caeleste. Per.

Postea ungues eum oleo sanctificato: primum pectus, secundo manus, tertio pedes, dicendo, his verbis:

Ungo te oleo sanctificato, ut more militis unctus et praeparatus ad luctam, aerias possis superare catervas. Operare creatura olei, ✠ in nomine Dei[3] Patris[4], ✠ et Filii, ✠ et Spiritus sancti: ut non lateat hic spiritus immundus, nec in membris, nec in medullis, nec in ulla compagine membrorum huius hominis; sed operetur in eo virtus Christi Filii Altissimi. Qui cum aeterno Deo Patre vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus sancti[5] per omnia saecula saeculorum. [℟] Amen.

Postea communica eum, et dic:

Corpus Domini nostri Ihesu Christi sanguine tuo tinctum conservet animam tuam in vitam aeternam. [℟] Amen.

Oratio post communionem.

Domine sancte Pater[6], te fideliter deprecamur: ut[7] accipiente fratre nostro sacrosanctam Eucharistiam, corpus et sanguinem[8] Domini nostri Ihesu Christi Filii tui, tam corporis quam animae sit salus. Per eundem.

1. mentis et corporis, m. — 2. menti. m. — 3. Dei: *om.* m. — 4. Patris omnipotentis. m. — 5. in.... sancti: *deest* M. — 6. Pater omn. aet. Deus. m. — 7. ut: *om.* m. — 8. corporis et sanguinis. m.

INCIPIT COMMENDATIO ANIMAE.

Quando de corpore egrediuntur animae infirmorum:

Vale in Christo: Pax tecum: Amen.[1] Proficiscere anima de hoc mundo: migrare in pace. In nomine Dei[2] Patris omnipotentis, qui te creavit. In nomine Ihesu[3] Christi Filii Dei vivi, qui pro te passus est. In nomine Spiritus sancti[4], qui in te effusus est. In nomine[5] angelorum et archangelorum, patriarcharum, prophetarum, apostolorum, Innocentium, martyrum,[6] confessorum ac virginum,[7] omniumque animarum sanctarum Deo placentium. Hodie posita[8] sis in pace: locus tuus et habitatio tua in sanctam Ierusalem caelestem. Suscipiat te sanctus Michahel archangelus, qui militiae caelestis meruit principatum: subvenient[9] tibi sancti angeli, et perducant te[10] in Hierusalem caelestem; suscipiat te beatus Petrus apostolus, cui a Domino claves regni caelestis traditae sunt. Ingredere[11] in pace. ✠ In nomine Patris, ✠ et Filii, ✠ et Spiritus sancti, qui te illuminet in vitam aeternam, et resuscitet[12] in prima resurrectione in novissima[13] die.

Domine Ihesu Christe, pastor bone, suscipe animam servi tui *ill.*[14] in pace; et omnia eius peccata[15] dimitte.

Suscipe, Domine, servum tuum in bonum, et libera animam eius ex omnibus periculis infernorum, et de laqueis[16] poenarum, et de omnibus tribulationibus.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Noe de periculo.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Heliam et Henoch de communi morte mundi.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Abraham per fidem et credulitatem.[17]

1. Amen. *deest* M m. — 2. Dei ✠: M m. — 3. Ihesu ✠: M m. — 4. sancti ✠: M m. — 5. honore: m. — 6. martyrum, Innocentium: M. — 7. virginum, confessorum: m. — 8. positus: M. — 9. subveniant: M m. — 10. te *(ma. dub. in marg.)*. — 11. Egredere: m. — 12. resuscitet te: M m. — 13. novissimo: M. — 14. *ill.* deest M m. — 15. iube peccata: M. ei peccata: m. — 16. infernorum.... laqueis: *om.* M m. — 17. credulitatem suam: m.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Loth de Sodomis et de flamma ignis.

Libera, Domine, animam servi tui,[1] sicut liberasti Isaac de manu patris sui Abraham.[2]

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Iacob per benedictionem[3] maiestatis tuae.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Moysen de manu Pharahonis regis Aegyptiorum.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Iob de passionibus suis.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Ionam de ventre ceti.[4]

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti David de manu Sauli regis, et Goliae,[5] et de omnibus vinculis eius.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Danihelem de lacu leonum.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti tres pueros de camino ignis ardentis, et de manu regis iniqui.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Susannam de falso crimine.

Libera, Domine, animam famuli[6] tui, sicut liberasti humanum[7] genus per passionem tuam.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Petrum et Paulum de carceribus.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Theclam de tribus tormentis.

Sic liberare digneris, Domine, animam hominis istius[8], et tecum habitare concedas in bonis caelestibus regnis. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas.[9]

1. tui *om.* m. — 2. Abraham. *1 ma. in ras.*: Abrahae. M; m. *om.* sui. — 3. m. *add.* patris sui et. — 4. Libera.... ceti: *om.* m. — 5. et de manu Goliae. gigantis: m. — 6. servi. M. — 7. humanum.... Theclam: *om.* m, *qui statim subdit* Theclam etc. — 8. istius hominis: M m. — 9. in bonis caelestibus. Amen. M; in domibus caelestibus. Amen. m.

IN AGENDA MORTUORUM.

ORATIO QUANDO ANIMA EGRESSA EST DE CORPORE.

Pio recordationis affectu, fratres karissimi, commemorationem facimus cari nostri *ill.* [1], quem Dominus de temptationibus huius saeculi assumpsit, obsecrantes [2] misericordiam Dei nostri: ut ipse ei tribuere dignetur placidam [3] et quietam mansionem, et remittat [4] omnes lubricae temeritatis offensas: ut, concessa venia plenae indulgentiae, quicquid in hoc saeculo proprio [5] reatu deliquit, totum ineffabili pietate ac benignitate sua deleat, et abstergat. Per [6] Dominum nostrum Ihesum Christum Filium suum, secum viventem atque regnantem Deum, in unitate Spiritus sancti, per omnia saecula saeculorum. [℟] Amen.

Alia. Deus, cui omnia vivunt, et cui non pereunt moriendo corpora nostra, sed mutantur in melius, te supplices deprecamur, ut suscipi iubeas animam famuli(ae) tui(ae) *ill.* [7], per manus sanctorum angelorum tuorum deducendam in sinum amici tui Abrahae patriarchae, resuscitandamque in novissimo magni iudicii die: et quicquid viciorum fallente diabolo contraxit, tu pius et misericors [8] ablue indulgendo. Per.

Alia oratio. Suscipe, Domine, animam servi (ancillae) tui(ae) *ill.*, quam de ergastulo huius saeculi dignatus es assumere; et libera eam de principibus tenebrarum et de locis poenarum: ut absoluta omnium vinculo peccatorum, quietis ac lucis aeterna beatitudine perfuatur, et inter sanctos et electos tuos in resurrectionis gloria resuscitari mereatur. Per.

Alia. Non intres in iudicio cum servo (ancilla) tuo(a), Domine, quoniam apud te non iustificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum tribuatur remissio. Non ergo, quaesumus, tua sententia premat, quem(am) tibi vera supplicatio

1. *ill.:* deest M. — 2. Obsecramus: M m. — 3. placitam. m. — 4. remittatque, M. — 5. proprio, *om.* m. — 6. Quod ipse praestare dignetur qui cum P. et Sp. s. M m. — 7. *ill:* om. M. m. — 8. misericors Dominus, m.

fidei christianae commendat; sed, gratia tua illi succurrente, mereatur evadere iudicium ultionis, qui(ae) dum viveret insignitus(a) est signaculo Trinitatis. Per.

Alia. Fac cum servo (ancilla) tuo(a) *ill.*, Domine, defuncto(a) misericordiam, ut factorum suorum in poenis non recipiat vicem; qui(ae) tuam in votis tenuit voluntatem: ut sicut hic vera fides iunxit fidelium turmis, ita eum (eam) illuc tua miseratio societ angelicis choris. Per.

Post haec continuatim canuntur psalmi [(a)], *et incipiunt abluere corpus.*

Post lavationem corporis incipiunt hae orationes.

Deus vitae dator et humanorum corporum reparator, qui te a peccatoribus exorari [1] voluisti, exaudi preces nostras, quas speciali devotione pro anima famuli(ae) tui(ae) *ill.* [2] tibi lacrimabiliter fundimus: ut liberare eam ab inferorum [3] cruciatibus, et collocare inter agmina sanctorum tuorum digneris; veste quoque caelesti et stola immortalitatis indui, et paradisi amoenitate confoveri iubeas. Per.

Alia oratio. Deus, qui humanarum animarum aeternus amator es, animam famuli(ae) tui(ae) *ill.* [4], quam vera dum in corpore maneret tenuit fides, ab omni cruciatu inferorum redde extorrem: ut segregata ab infernalibus claustris, sanctorum [5] mereatur adunari consorciis. Per.

Sequitur ℟ Accepimus bona. ℣ Quoniam sagittae tuae.

Ant. Redemptor meus vivit. ℣ Renovabuntur. ℣ (*ps. 50*) Miserere mei Deus secundum.

Oratio. Inclina, Domine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam suppliciter deprecamur: ut animam famuli(ae) tui(ae) *ill.*, quam de hoc saeculo migrare iussisti, in pacis ac lucis regione constituas, in *(sic)* sanctorum tuorum iubeas esse consortem. Per.

Cap. Anima eius requiescat in pace. [℟] Amen.

1. exorare: M. — 2. *ill.* om. M. — 3. infernorum: M. — 4. *ill.* om. M. — 5. sanctorum tuorum: M.

(a) Intra habentur *Antiphonae in psalmos pro defuncto*, quae dicebantur tempore lavationis corporis, cum psalmis et lectionibus, ut patet ex alia rubrica post ant. XIV.

ITEM INCIPIUNT ANTIPHONAE IN PSALMOS PRO DEFUNCTO.

I. Deduc me, Domine, in tua iustitia; et in conspectu tuo vias meas dirige. ℣ *(ps. 1)* Beatus vir qui non abiit in consilio.

II. Non derelinques eum in infernum, Domine; nec dabis animam eius in corruptionem. ℣ *(ps. 15)* Conserva me, Domine, quoniam in te speravi.

III. Vide, Domine, humilitatem meam; dimitte omnia peccata mea. ℣ *(ps. 24)* Ad te, Domine, levavi animam.

IIII. Tu es, Domine, protector meus: in manus tuas commendo spiritum meum. ℣ *(ps. 30)* In te, Domine, speravi.

V. Sitivit anima mea ad Deum vivum: veniam et parebo ante faciem Dei. ℣ *(ps. 41)* Sicut cervus desiderat.

VI. Ecce enim Deus adiuvat me, et Dominus susceptor est animae eius. ℣ *(ps. 53)* Deus in nomine tuo salvum.

VII. In paradisum deducant te angeli, et cum gloria suscipiant te sancti martyres Dei. ℣ *(ps. 61)* Nonne Deo subdita.

VIII. Usque in vita mea laudavi te, Domine: da requiem mihi cum sanctis in regione vivorum, et salva me. ℣ *(ps. 71)* Deus iudicium tuum regi da.

VIIII. Memorare, Domine, quae sit mea substantia: quis est homo qui vivit, et non videbit mortem. ℣ *(p. 82)* Deus quis similis tibi: ne tacueris.

X. Domine, mitte angelum tuum protectorem meum, qui me suscitet de terrae pulvere: ut possim occurrere ad resurrectionem cum sanctis tuis. ℣ *(ps. 91)* Bonum est confiteri Domino.

XI. Clamor noster, Domine, ad te perveniat. ℣ *(ps. 101)* Domine, exaudi orationem meam: et clamor meus.

XII. Suscipe me, Domine, secundum verbum tuum; et ne confundas me ante conspectum tuum. ℣ *(ps. 118)* Beati immaculati in via qui ambulant.

XIII. Haec requies mea in saeculum saeculi, hic habitabo, quia praeelegi eam. ℣ *(ps. 131)* Memento, Domine, David.

XIIII. Portio mea in terra viventium: me expectant iusti, donec retribuas mihi. ℣ *(ps. 141)* Voce mea ad Dominum clamavi: voce mea.

Quod si necessitas incumbit, ut citius finiatur psalterium, et tres tantum lectiones legantur, tunc in prima turma canantur quinquaginta psalmi cum ant. Deduc me, Domine, in tua iustitia. ℣ *(ps. 1)* Beatus vir, qui non abiit.

In secunda turma alii quinquaginta cum ant. Ecce enim Deus adiuvat me, et Dominus. ℣ *(ps. 53)* Deus in nomine tuo.

Item in tertia turma alii quinquaginta cum ant. Suscipe me, Domine, secundum. ℣ *(ps. 118)* Beati immaculati.

Item antiphonae duplae.

I. Redemptor meus vivit, et in novissimo me renovabit. ℣ Renovabuntur denuo ossa mea, et in carne mea videbo Dominum Deum. ℣ *(ps. 50)* Miserere mei Deus secundum magnam.

II. Tu iussisti nasci me, Domine, repromisisti ut resurgerem. ℣ Iussione tua venio, Sanctissime, ne derelinquas me quia pius es. *Psalm. (53)* Deus, in nomine tuo salvum me fac.

III. Credo quod Dominus non me derelinquet; nec condemnabit me, dum venerit ad iudicandum. ℣ Sed miserebitur mei redemptor meus, pius Deus. *Psalm. (56)* Miserere mei, Deus, miserere mei.

IIII. Tu creasti me, Christe: iussione tua venio, Sancte. ℣ Parce, Deus: parce, fortis: libera me de manu mortis. *Psalm. (85)* Inclina, Domine, aurem tuam.

Ista antiphona non dicitur nisi ad diaconem vel ad sacerdotem defunctum. Ant. V. Exter factus sum fratribus meis, quia iussisti. (℣) Vocasti me, Deus: ecce venio, suscipe me. *Psalm. (68)* Salva me Deus quoniam introierunt aquae.

Item sequitur [(a)].

[RESPONSORIA QUAE DICENDA SUNT IN AGENDA MORTUORUM].

℟ I. Accepimus bona. ℣ Quoniam sagittae.
℟ II. Antequam comedam. ℣ Afflictus sum et humiliatus.
℟ III. Induta est caro mea. ℣ Quoniam non revertetur.
℟ IIII. Paucitas dierum. ℣ Domine, exaudi orationem.
℟ V. Quis mihi tribuat. ℣ Si fuero iustus, os meum.
℟ VI. Scio, Domine, quia. ℣ Memento, Dne, quia manus.
℟ VII. Libera me. ℣ Miserere mei, Deus, miserere.
℟ VIII. Nonne cognoscit Deus. ℣ Dne, Deus meus, si feci.
℟ VIIII. Scio enim quia. ℣ Surgant mortui, et resurgant.
℟ X. Desiderium meum. ℣ Deus in adiutorium meum.
℟ XI. Auditu auris audivi. ℣ Unum locutus sum, quod.
℟ XII. Oculi mei fundite. ℣ Laboravi in gemitu meo.
℟ XIII. Caligaverunt oculi. ℣ O vos omnes qui transitis.
℟ XIIII. Relaxentur vincula. ℣ Usquequaque lava me.
℟ XV. Remitte mihi ut. ℣ Ad te, Dne, levavi.
℟ XVI. Non timebis anima. ℣ Dominus exaudiat te.
℟ XVII. Qui suscitasti Lazarum. ℣ Requiem aeternam.
℟ XVIII. In manus tua, Dne. ℣ In te, Dne, speravi.

ITEM PSALLENDAE (*sic*) QUANDO CORPUS PORTATUR AD ECCLESIAM.

Ant. I. Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me: educ de inferno animam meam; salva me, Domine, a descendentibus in lacum.

II. De terra creasti me, carne induisti me: redemptor meus, Christe, resuscita me in novissimo die.

III. Dextera tua, Domine, suscepit me; et disciplina tua ipsa me docuit.

IIII. Cum Christus apparuerit vita nostra, tunc apparebis [1] cum eo in gloria.

1. apparebit. M.

(*a*) ℟℟ quae sequuntur in cod. Ambr. *T 96 sup.* posita sunt per extensum: hic in compendium per initia ponuntur, nam omnino conveniunt cum textu *Manualis Vallis Travaliae,* in *Agenda defunctorum* (vol. III, pag. 479, not. 1, et p. 480 et seqq.).

v. Domine, Domine, quando venero in iudicium tuum? animam in carne constitutam pollui; priusquam discutias me, miserere mei.

vi. Domine, mitte angelum tuum protectorem meum, qui me suscitet[1]: ut possim occurrere ad resurrectionem cum Sanctis tuis.

[IN ECCLESIA].

Sequitur Passio: require retro [(a)]: Prima die azimorum accesserunt discipuli.

℟ Remitte mihi. ℣ Ad te, Domine, levavi.

In ecclesia oratio super defunctum:

Obsecramus misericordiam tuam, aeterne omnipotens[2] Deus, qui hominem ad imaginem tuam creare dignatus es: ut spiritum et animam famuli(ae) tui(ae) *ill.*[3], quem(am) hodierna die rebus humanis eximi, et ad te accersiri iussisti, blande et misericorditer suscipias. Non ei dominentur umbrae mortis, nec tegat eum (eam) chaos et caligo tenebrarum; sed exutus(a) omnium criminum labe, in sinu Abrahae patriarchae collocatus(a), locum lucis et[4] refrigerii se adeptum(am) esse gaudeat: et cum dies iudicii advenerit, cum sanctis et electis tuis eum resuscitari iubeas. Per Dominum.

℟ Relaxentur vincula. ℣ Usquequaque lava me.

Sequitur Evangelium secundum Iohannem.

In illo tempore. Dixit Ihesus discipulis suis: Omne quod dat mihi Pater ad me veniet: et eum, qui venit ad me non eiiciam foras: quia descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Haec est autem voluntas eius, qui misit me, Patris: ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo; sed resuscitem illud in novissimo die. Haec est enim voluntas Patris mei qui misit me: ut omnis qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam aeternam. Et resuscitabo ego eum in novissimo die.

℟ In manus tuas, Domine. ℣ In te, Domine, speravi.

Deinde sequuntur Litaniae: his finitis (sic).

1. suscitet de terrae pulvere. M m. — 2. omnipotens aeterne. m. — 3. *ill.* deest M m. — 4. ac. m.

(a) cf. indicem cod. *T 96 sup.*

ITEM INCIPIUNT PSALLENDAE *(sic)*
QUANDO CORPUS PORTATUR DE ECCLESIA AD SEPULCRUM

Ant. I. Usque in vita mea laudavi te, Domine.

II. Memorare, Domine, quae sit mea substantia.

III. Adhaesit pavimento anima mea: vivifica me, Domine, secundum verbum tuum.

IIII. Portio mea in terra viventium: me expectant.

V. Vide humilitatem meam.

VI. Tu iussisti nasci me, Domine.

VII. Credo quod Dominus non me derelinquet.

VIII. Tu creasti me, Christe.

VIIII. Etenim pauci fuerunt dies mei: da mihi requiem cum sanctis tuis, Domine.

[AD SEPULCRUM].

X. Suscipiat te Christus, qui vocavit te; in sinu Abrahae Angeli deducant te.

XI. Haec requies mea in saeculum saeculi.

XII. Dominus mortificat et vivificat; deducit ad inferos et reducit.

XIII. Dominus custodiat te ab omni malo, custodiat animam tuam Dominus.

Seq. psalm (120) totus. Levavi oculos meos ad montes.

Dominus regit me, et nihil mihi deerit: in loco pascuae ibi me collocavit.

Domini est terra et plenitudo eius: orbis [(a)].

Ad te, Domine, levavi animam meam: Deus meus.

In te, Domine, speravi: non confundar in aeternum.

In tua iustitia libera me: et eripe me.

Beati quorum remissae sunt iniquitates: et quorum tecta sunt peccata.

Gaudete iusti in Domino: rectos docet.

Beatus qui intelligit super egenum et pauperem.

Sicut cervus desiderat ad fontes.

Miserere mei, Deus: secundum magnam misericordiam.

Et secundum multitudinem miserationum.

(*a*) cf. vol. III, pag. 485 et seq.

Auditui meo dabis gaudium et laetitiam.

Averte faciem tuam a peccatis meis: et.

Deus, in nomine tuo salvum me fac: et in.

Miserere mei, Deus, miserere mei: quoniam in te confido.

Deus misereatur nobis et benedicat nos: inluminet.

Deus, in adiutorium meum intende: Domine.

Deus, in te speravi: Domine, non confundar in aeternum.

In tua iustitia libera me: et eripe me.

Inclina, Domine, aurem tuam et exaudi me.

Custodi animam meam, quoniam sanctus es: salvum fac.

Domine, exaudi orationem meam: et clamor meus.

De profundis clamavi ad te, Domine: Domine.

Eripe me, Domine, ab homine malo: et.

Domine, clamavi ad te, exaudi me.

Aperite mihi portas iustitiae: et ingressus.

Haec porta Domini: iusti ingredientur.

In pace in idipsum: obdormiam et requiescam.

Fiat, Domine, misericordia tua super nos: sicut speravimus in te.

Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet: et ego resuscitabo eum in novissimo die

[*Ant.*] Dominus custodiat te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.

Oremus, fratres karissimi, pro spiritu cari(ae) nostri(ae) *ill.*, quem(am) Dominus de laqueo[1] huius saeculi liberare dignatus est, cuius corpusculum hodie sepulturae traditur: ut eum(am) pietas Domini in sinu Abrahae et[2] Isaac et Iacob collocare dignetur. Ut[3] cum dies iudicii advenerit, inter sanctos et electos suos eum(am) in parte dextera collocandum(am) resuscitari[4] faciat: Praestante Domino nostro Ihesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia saecula saeculorum. [℟] Amen.

Alia. Debitum humani corporis sepeliendi officium, fidelium[5] more complentes, Deum, cui omnia vivunt, fideliter

1. ergastulo. m. — 2. et. m *om.* — 3. Et. m. — 4. resuscitare. m. — 5. *in* m. *suppl. 2 ma.*

deprecemur: ut hoc corpus cari(ae) nostri(ae) *ill.* a nobis in infirmitate sepultum, in ordine Sanctorum[1] resuscitet: et eius spiritum sanctis ac fidelibus aggregari iubeat[2]. Praestante Domino nostro Ihesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia saecula saeculorum.

Post sepultum corpus.

Oratio. Tibi, Domine, commendamus animam famuli(ae) tui(ae) *ill.*[3], ut defunctus(a) saeculo tibi vivat: et si qua per fragilitatem mundanae conversationis peccata admisit, tu venia misericordissimae pietatis absterge. Per.

Alia. Deus humanarum animarum aeternus amator es: animam famuli(ae) tui(ae) *ill.*, quam vera dum in corpore maneret tenuit fides, ab omni cruciatu inferorum redde extorrem: ut segregata ab infernalibus claustris, sanctorum mereatur adunari consorciis. Per.

Temeritatis quidem est, Domine, ut homo hominem, mortalis mortalem, cinis cinerem tibi Domino Deo nostro audeat commendare: sed quia terra suscipit terram, et pulvis convertitur in pulverem, donec omnis caro in suam redigatur originem, inde tuam, Deus piissime Pater, lacrimabiliter quaesumus pietatem: ut huius famuli(ae) tui(ae) *ill.* animam, quam de huius mundi voragine caenulenta ducis ad patriam, Abrahae amici tui sinu recipias, et refrigerii rore perfundas. Sit ab aestuantis gehennae truci incendio segregatus(a), et beatae requiei, te donante, coniunctus(a): et, si quae illi sunt, Domine, dignae cruciatibus culpae, tu eis[4] gratiae mitissimae lenitate indulge; nec peccati recipiat vicem, sed indulgentiae tuae piam sentiat bonitatem: cumque, finito mundi termino, supernum cunctis illuxerit regnum, omnium sanctorum caetibus aggregatus(a)[5] cum electis resurgat, in parte dextera collocandus(a). Per.

Seq. cap. Requiem aeternam dona ei, Domine. ℟ Et lux perpetua luceat ei.

Al. Et requiescat animam eius in pace. ℟ Amen.

1. Sanctorum suorum, m. — 2. iubeat, cum quibus inenarrabili gloria et perhenni felicitate perfrui mereatur. m. — 3. *ill.* m. *om.* — 4. eas. m. — 5. collocandus. m.

EXCERPTA EX COD. M.
BEROLDO NOVO

INCIPIT ORDO OFFICII QUALITER FIERI DEBET MANUS IMPOSITIO SUPER INFIRMOS.

In primis ille sacerdos, qui prior est, dicat hanc orationem: Pax huic domui. ℟ Amen. (℣) Dominus vobiscum.

(Orat.) Deus, qui benedixisti vestigia apostolorum tuorum Petri et Pauli atque Andreae, dignare benedicere domum istam, atque ingressum nostrum: expelle hinc, Dne, omnes insidias diaboli, et reple eam omni gaudio, sanitate et pace, et fac eam abundare omnibus bonis: ut de tua gratia hic semper abundet, et Angelus tuus sanctus semper eam in pace custodiat. Per. (℟) Amen.

Seq. Pax et benedictio ✠ Dei Patris omnipotentis, ✠ et Filii, ✠ et Spiritus sancti, descendat super nos et super domum istam, et super omnes habitantes et convenientes in ea. ℟ Amen.

Deinde dicit sacerdos hanc benedictionem. Propitius sit nobis omnipotens et misericors Dnus, qui fecit caelum et terram, et benedicat nos. ℟ Amen.

Seq. Deus in adiutorium meum intende. ℟ Dne, ad adiuvandum me festina. Gloria Patri. Sicut erat. All. *vel* Laus tibi.

Sequuntur septem psalmi poenitentiales, cum Gloria post quemlibet, post ant.

Ant. I. Infirmus sum.... *(omnia ut sup. p. 80, praeter seq.). Ant.* (V) Clamor noster, Dne, ad te perveniat. ℣ *(ps. 101)* Dne, exaudi orationem: et clamor, *et (ps. 102)* Benedic anima mea Dnum, *usque* Faciens misericordias Dns. *Ant.* VI.

Fiant.... *(reliqua ut supra, usque ad ps. 142* Domine, exaudi orationem meam, auribus, *inclus.).*

Sequitur oratio [a] *communiter.* Infirmorum propitiator, abiectorum protector, desperandorum salvator, Deus patris mei, et Deus haereditatis Israel, dominator caeli et terrae, creator aquarum, rex totius creaturae tuae, exaudi preces nostras. *Seq.* Kyr. kyr. kyr., *deinde Letania.*

Domine, mise-	S. Martyri	S. Euprepi	S. Columba
rere. *ter*	S. Alexander	S. Sebastiane	S. Radecunda
Christe, libera	S. Laurenti	S. Solutor	S. Anatalon
nos. *ter*	S. Vincenti	S. Romane	S. Gay
Salvator, libera	S. Ypolite	S. Babilla	S. Castritiane
nos. *ter*	S. Cassiane	S. Erasme	S. Kalimere
S. Maria [b]	S. Quirine	S. Petre	S. Mona
. . . . .	S. Nicomedis	S. Laurenti	S. Mirocles
. . . . .	S. Kalocere	S. Vite	S. Materne
S. Stephane	S. Christophore	S. Quirice	S. Eustorgi
S. Line	S. Georgi	S. Firme	S. Dionisi
S. Clete	S. Theodore	S. Rustice	S. Simpliciane
S. Clemens	S. Faustine	S. Alexander	S. Veneri
S. Syste	S. Iovita	S. Tegla	S. Marole
S. Apollinaris	S. Mauriti	S. Pellagia	S. Cliceri
S. Blasi	S. Candide	S. Agnes	S. Lazare
S. Nazari	S. Victor	. . . . .	S. Eusebi
S. Celse	S. Exuperi	S. Eufimia	S. Geronti
S. Protasi	Sancta Legio	S. Lucia	S. Benigne
S. Gervasi	S. Vitalis	S. Iustina	S. Magne
S. Victor	S. Valeria	. . . . .	S. Eugeni
S. Nabor	S. Cosma	S. Euphraxia	S. Vigili
S. Felix	S. Damiane	S. Marcelina	S. Ampelli
S. Fortunate	S. Antime	S. Margarita	S. Dati
S. Sysinni	S. Leonti	S. Iuliana	S. Martiniane

(*a*) Est ant. post Evang. ad Missam Domin. *de Lazaro* in Quadrag. (cf. vol. III, p. 161).

(*b*) Invocationes omissae hic et infra, sunt eodem ordine digestae et eaedem quae supra, pag. 80 et seq.

S. Auxane	S. Martine	Omnes sancti Angeli, interc. pro n.
S. Syre	S. Iuli	. . . .
S. Iventi	S. Gregori	Omnes sancti Discipuli Dni, inter.
S. Gaudenti	S. Satyre	. . . .
S. Abundi	S. Augustine	Omnes Sancti et Sanctae Dei, int.
S. Eusebi	S. Benedicte	Exaudi Christe. Voces nostras. *ter*
S. Hylari	S. Galdine	Exaudi Deus. Et miserere nob. *ter*
S. Nicolae	S. Ambrosi	Kyr. kyr. kyr.

Deinde sacerdos, qui prior est, dicat hanc orationem secretam, et haec capitula:

Seq. Pater noster.

Cap. Et ne nos inducas in tentationem. ℟ Sed libera nos a malo.

Cap. Adiutorium nostrum in nomine Dni. ℟ Qui fecit caelum et terram.

Seq. Credo in Deum.

Cap. Carnis resurrectionem. ℟ Vitam aeternam. Amen.

Cap. Salvum fac servum tuum: ℟ Deus meus sperantem in te.

Cap. Mitte ei, Dne, auxilium de sancto: ℟ Et de Syon tuere eum.

Cap. Nihil proficiat inimicus in eo: ℟ Et filius iniquitatis non adiiciat nocere ei.

Cap. Esto ei, Dne, turris fortitudinis: ℟ A facie inimici et persequentis.

Cap. Dne, exaudi orationem nostram: ℟ Et clamor noster ad te perveniat.

Cap. Exurge, Dne, adiuva nos: ℟ Et libera nos propter nomen tuum.

Deinde sacerdos, qui prior est, dicat: Dominus vobiscum. ℟ Et cum spiritu tuo; *postea incipiat hanc orationem; deinde subsequuntur alii. Et ponere debent manus super infirmum.*

Sanctum ac venerabile nomen.... *(ut sup. pag. 81, usquè)* ad regnum tuum caeleste. Per Dom.

Deinde ungue eum cum oleo benedicto, primo in pectore, secundo in manibus, tertio in pedibus, his verbis, dicendo:

Ungo te oleo sanctificato, ut more militis unctus et praeparatus ad luctam, aerias possis superare catervas. Operare creatura olei, ✠ in nomine Dei Patris, ✠ et Filii, ✠ et Spiritus sancti: ut non lateat hic spiritus immundus, nec in membris, nec in medullis, nec in ulla compagine membrorum huius hominis; sed operetur in eo virtus Christi Filii Altissimi. Qui cum aeterno Deo Patre vivit et regnat, per omnia saecula saeculorum. ℟ Amen.

Hac finita, dicat sacerdos: Quidquid peccasti per cogitationem parcat tibi Deus. ℟ Amen.

Deinde ungue eum in manibus, dicendo iterum: Ungo te oleo sanctificato, *et cetera* (sic)*: qua finita, dicat sacerdos:* Quidquid peccasti per operationem manuum parcat tibi Deus. ℟ Amen.

Deinde ungue eum in pedibus, sic dicendo: Ungo te oleo sanctificato. *Finita oratione, statim dicat presbyter:* Quidquid peccasti per ingressum *(sic)* pedum, parcat tibi Deus. ℟ Amen.

Tunc statim sacerdotes dicunt insimul has orationes.

Deus angelorum, Deus archangelorum, Deus patriarcharum, et omnium sanctorum chorus *(sic)*: Deus universae conditor creaturae, qui dixisti Apostolis tuis: Ite; super aegros manus imponite, daemonia eiicite, gratis accepistis, gratis date: ubi nos indigni et peccatores manus carnaliter in tuo nomine imponimus, tu, Domine, tuam spiritalem *(sic)* imponere digneris. Qui vivis et regnas.

Alia oratio. Domine Deus, qui per Apostolum tuum locutus es: Si infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros ecclesiae, et orent super eum, unguentes eum oleo sancto in nomine Dni, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dnus, et si in peccatis sit, dimittentur ei: cura, quaesumus, Redemptor noster, gratia spiritus languores istius infirmi, et sua sana vulnera, eiusque dimitte peccata; atque dolores cunctos cordis ab eo expelle, plenamque interius exteriusque sanitatem misericorditer redde: ut ope misericordiae tuae restituas sanitatem *(sic)*, et ad pristina pietatis reparetur officia. Per.

tuorum inter sanctos et electos tuos in sinibus Abrahae, Isaac et Iacob patriarcharum tuorum collocare digneris. Quatenus liberatus de principibus tenebrarum, et de locis poenarum, nullis iam primae nativitatis seu fragilitatis confundatur erroribus; sed potius agnoscatur a te, et sanctae beatitudinis requie perfruatur: ut cum iuditii dies advenerit, inter sanctos et electos tuos resuscitatus gloria manifestae [1] contemplationis tuae perpetua sotietur. Per.

Alia. Benedicat te Deus Pater omnipotens ✠, qui in principio cuncta creavit: ✠ Benedicat te Filius Dei, qui de superna sede pro nobis ad salvandum genus humanum descendit. ✠ Benedicat te Spiritus sanctus, qui in spetie columbae in Iordanis fluvio requievit. Ipse te in trinitate et unitate sanctificet, quem omnes gentes expectant iudicem venturum, cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Alia. Benedicat te Deus Pater, qui fecit caelum et terram in sapientia sua, benedictione qua benedixit sanctos patriarchas Abrabam, Isaac et Iacob: multiplicet in te gratiam spiritalem, sicut multiplicavit semen eorum, tamquam stellas caeli et arenam quae est in littore maris. Donet tibi remissionem omnium peccatorum; protegat te omnibus diebus vitae tuae; et perducat te in regnum gloriae suae. Qui vivit et regnat.

Alia. Rogamus te, sancte Michael archangele Dei, qui ad animas suscipiendas accepisti potestatem: ut animam eius accipere *(sic)* digneris a laqueis diaboli et a principibus tenebrarum: et liceat ei per portas inferni *(sic)*: ut tecum et cum sanctis Angelis in gaudium Dni mereatur intrare. Praestante Dno.

Alia. In quacumque die vel hora morte praeoccupatus fueris, absolutus sit ✠ a Patre, ✠ et Filio, ✠ et Spiritu sancto. Et de beata Dei genitrice ac virgine Maria, et de beato Michaele archangelo, et de beato Praecursore et

(1) *l. m.*: manifestata (?).

martyre Christi Iohanne Baptista, qui dixit: Poenitentiam agite, appropinquabit enim iuditium Dei; et de beato Petro principe Apostolorum, cui dedit Deus potestatem ligandi atque solvendi in caelo et in terra, et de omnibus Sanctis electis Dei *(sic)*. Et per illorum intercessionem, te absolvat omnipotens Deus, et liberet te ab omni vinculo peccatorum tuorum. Qui vivit et regnat cum Patre, in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

✠ Benedictio Dei Patris omnipotentis, ✠ et Filii, ✠ et Spiritus sancti, descendat super animam et corpus tuum. Amen.

Oratio postquam anima egressa egressa fuerit de corpore.

Pio recordationis affectu.... *(ut sup. p. 85, usque)* et abstergat. Quod ipse praestare dignetur.

Alia oratio. Deus, cui omnia vivunt.... (*ut sup. p. 85, usque*) indulgendo. Per.

Oratio post lavationem corporis. Deus vitae dator.... (*ut sup. p. 86, usque*) confoveri iubeas. Per.

Alia orat. Deus, qui humanarum animarum.... (*ut sup. pag. 86, usque*) adunari consortiis. Per.

INCIPIT ORDO OFFICII SEPELIENDI CORPORA MORTUORUM.

IN PRIMIS: AD DOMUM CUIUSLIBET DEFUNCTI.

Dicitur a sacerdote (℣) Dominus vobiscum. *Sequitur haec oratio.*

Quaesumus, Domine, famulo tuo, cuius diem primum obitus sui commemoramus, Sanctorum tuorum largire consortium: et rorem misericordiae tuae perennis infunde. Per. (℟) Amen.

Seq. Requiem aeternam dona ✠ ei, Domine. ℟ Et lux perpetua ✠ luceat ei. *Deinde.* Anima eius, et animae omnium fidelium defunctorum [per Dei misericordiam] [1] requiescant in pace. ℟ Amen.

1. al. ma. sup. lin.

(℟) Amen. *Statim sequitur* ℟ Relaxentur vincula. ℣ Usquequaque. *Aliud* ℟ *(pro) episcopis, sacerdotibus et diaconibus:* Caligaverunt oculi. ℣ O vos omnes. *Tunc diaconus legat Evangelium sec. Iohannem:* In illo tempore. Dixit Ihesus discipulis suis: omne quod dat.... *(per extensum ut sup. p. 90, usque)* Et resuscitabo ego eum in novissimo die. *Sequitur* ℟ In manus tuas, Domine. ℣ In te Domine. *Aliud* ℟ *(pro) episcopis, sacerdotibus, subdiaconibus, clericis, religiosis, iurisperitis et tabellionibus:* Qui suscitasti Lazarum. ℣ Requiem aeternam. *Finito* ℟, *sequuntur Letaniae.*

[Psallentium de eccl. ad sepulcrum].

His finitis, statim suscipiatur cadaver, et portetur de ecclesia ad sepulturam, diacono incipiente hanc antiphonam:

I. Usque in vita.... [a] II. Memorare.... III. Adhaesit pavimento.... IIII. Portio mea.... V. Vide, Domine.... VI. Tu iussisti nasci me. ℣ Iussione tua. VII. Credo quod Dominus. ℣ Sed miserebitur. VIII. Etenim pauci....

Istae duae antiphonae quae sequuntur, non cantantur, nisi fuerit episcopiscopus, sacerdos vel diaconus: In paradisum deducant te Angeli; et cum gaudio suscipiant te sancti martyres Dei. *Alia.* Tu es, Domine, protector meus: in manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.

[Ad sepulcrum].

Tunc statim ponendus est cadaver in sepulturam, signando (Posito defuncto in sepultura, tunc diaconus debet incensare, et presbyter aquàm benedictam dare.) et cantando hanc ant. Suscipiat te Christus, qui vocavit te; et in sinu Abrahae Angeli deducant te. II. Haec requies mea in saeculum saeculi: hic habitabo, quoniam praeelegi eam. III. Dominus mortificat, et vivificat: deducit ad inferos et reducit.

Sequitur ant. Dominus custodiat te.

Sequitur psalm. (*120*) Levavi oculos meos, *totum.*

(*a*) In *M* per extensum; omissa v. supra, p. 87 et seq; cf. vol. III, p. 484.

℣ [I] Dominus regit me, et nihil mihi [a].
II. Domini est terra et plenitudo eius.
III. Ad te, Domine, levavi animam.
IIII. In te, Domine, speravi non confundar.
V. In tua iustitia libera me.
VI. Beati quorum remissae sunt.
VII. Gaudete iusti in Domino: rectos.
VIII. Beatus qui intelligit super egenum.
VIIII. Sicut cervus desiderat.
X. Miserere mei, Deus: secundum magnam.
XI. Et secundum multitudinem.
XII. Auditui meo dabis gaudium.
XIII. Averte faciem tuam a peccatis.
XIIII. Deus, in nomine tuo salvum me.
XV. Miserere mei, Deus, miserere mei: quoniam.
XVI. Deus misereatur nobis et benedicat.
XVII. Deus, in adiutorium meum.
XVIII. Deus, in te speravi: Domine, non.
XVIIII. In tua iustitia libera me.
XX. Inclina, Domine, aurem tuam.
XXI. Custodi animam meam, quoniam.
XXII. Domine, exaudi orationem meam: et clamor.
XXIII. De profundis clamavi ad te.
XXIIII. Eripe me, Domine, ab homine.
XXV. Domine, clamavi ad te, exaudi.
XXVI. Aperite mihi portas iustitiae.
XXVII. Haec porta Domini: iusti ingredientur.
XXVIII. In pace in idipsum: obdormiam.
XXVIIII. Fiat, Domine, misericordia tua super nos.
XXX. Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet; et ego resuscitabo eum in novissimo die.

Seq. ant. Dominus custodiat te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.

(*a*) In *M* ponuntur tantum initia harum ℣℣; cf. vol. III, p. 485 et seq.

Seq. Dominus vobiscum. *Oratio.* Tibi, Domine, commendamus.... *(per extensum ut sup. p. 93 usque)* absterge. Per Dominum.

Seq. Requiem aeternam ✠ dona ei, Domine. ℟ Et lux perpetua ✠ luceat ei. *Deinde.* Anima istius, et animae omnium fidelium defunctorum, per Dei misericordiam requiescant in pace. ℟ Amen.

[Deinde in cod. *M* sequuntur per extensum *Ordo officii mortuorum matutini*, et Ordo *Ad vesperas mortuorum*, quarum varietates vide in notis ad cod. *R* (vol. III, pp. 487-491): attamen in fine *precum*, quae dicendae sunt ad Laudes et Vesperas, (l. c. p. 491 in not.) post psalmum *M* add. seqq.]:

Cap. Domine, averte faciem tuam a peccatis meis: ℟ Et omnes iniquitates nostras dele. *Deinde dicat sacerdos:* Dominus vobiscum. ℟ Et cum spiritu tuo.

Oratio pro pontifice. Deus, qui inter apostolicos sacerdotes famulum tuum *ill.* pontificali fecisti divinitate vigere, praesta, quaesumus: ut eorum quoque perpetuo aggregetur consortio. Per.

Alia. Preces nostras, quaesumus, Domine, quas in famuli tui *ill.* depositione deferimus, propitiatus exaudi: ut qui nomini tuo ministerium fidele dependit, perpetua Sanctorum societate laetetur. Per.

Oratio pro sacerdote. Da nobis, quaesumus, Domine: ut animam famuli et sacerdotis tui, quam de saeculi eduxisti laborioso certamine, Sanctorum tuorum cetui tribuas esse consortem. Per.

Alia oratio. Deus infinitae misericordiae, suscipe pro anima famuli tui *ill.* sacerdotis preces nostras: et lucis ei laetitiaeque in regione Sanctorum tuorum societatem concede. Per.

Oratio pro fratribus et sororibus defunctis. Deus, veniae largitor, et humanae salutis amator, quaesumus clementiam

tuam: ut nostrae congregationis fratres, qui ex hoc saeculo transierunt, beato Ambrosio patrono nostro intercedente, ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas. Per.

Alia oratio. Deus vita viventium, spes morientium, salus omnium in te sperantium, praesta propitius: ut animae famulorum tuorum huius congregationis a nostrae mortalitatis tenebris absolutae, beato Ambrosio patrono nostro intercedente, in perpetua cum Sanctis tuis luce laetentur. Per.

Oratio pro uno(a) defuncto(a). Inclina, Domine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam suppliciter deprecamur: ut animam famuli tui *ill.*, quam de hoc saeculo migrare iussisti, in pacis ac lucis regione constituas, et Sanctorum tuorum iubeas esse consortem. Per.

Alia. Fidelium, Deus animarum conditor et redemptor, famulo tuo *ill.* cunctorum remissionem tribue peccatorum: ut quam semper optavit, indulgentiam consequatur. Per (*sic*).

Alia. Omnipotens sempiterne Deus, cui nunquam sine spe misericordiae supplicatur, propitiare animae famuli tui *ill.*: ut qui de hac vita in tui nominis confessione discessit, Sanctorum tuorum numero facias aggregari. Per.

Alia oratio. Praesta, quaesumus, omnipotens Deus: ut animam famuli tui *ill.* in congregatione iustorum, aeternae beatitudinis iubeas esse consortem. Per.

Alia oratio. Praesta, quaesumus, omnipotens Deus: ut animam famuli tui *ill.* ab angelis lucis susceptam, in praeparata habitacula deduci facias beatorum. Per.

Oratio in die obitus, III, VII, XXX. Quaesumus, Domine, famulo tuo, cuius primum, tertium, septimum, *vel* trigesimum obitus sui diem commemoramus, Sanctorum tuorum largire consortium: et rorem misericordiae tuae perennis infunde. Per.

Alia oratio. Deus, indulgentiarum Domine, famulo tuo *ill.*, cuius primum, tertium, septimum, trigesimum depositionis diem commemoramus: refrigerii sedem, quietis beatitudinem, luminis claritatem largiaris oramus. Per.

Alia. Omnipotens sempiterne Deus, collocare dignare

spiritum et animam famuli tui *ill.,* cuius diem primum, tertium, septimum, trigesimum celebramus, in sinibus Abrahee, Isaac, et Iacob: ut cum dies agnitionis tuae venerit, inter sanctos et electos tuos eum resuscitari praecipias. Per.

Oratio pro anniversario. Adesto, Domine, supplicationibus nostris, quibus misericordiam tuam suppliciter deprecamur pro anima famuli tui *ill.,* cuius hodie annua dies agitur: ut eam mortalitatis nexibus absolutam, inter sanctos et electos tuos perpetuam iubeas habere portionem. Per.

Alia oratio. Adesto, Domine, supplicationibus nostris pro anima famuli tui *ill.*, in cuius annua obitus sui die officium commemorationis impendimus: ut si qua ei saecularis macula inhaesit, aut vitium mundiale infecit, dono tuae pietatis indulgeas et abstergas. Per.

Alia. Suscipe, Domine, preces nostras pro anima famuli tui *ill.,* cuius anniversarium depositionis diem celebramus: ut si qua in eo macula de terrenis contagiis adhaesit, remissionis tuae misericordia deleatur. Per.

Oratio pro defuncto poenitentiam desiderante, et minime consequente. Omnipotens et misericors Deus, in cuius humana conditio potestate *(sic)* consistit, animam famuli tui *ill.,* quaesumus, ab omnibus absolve peccatis: et poenitentiae fructum, quem voluntas eius optavit, praeventus mortis non perdat. Per.

Alia. Deus, qui humanarum animarum aeternus amator es, animam famuli tui *ill.*, quam vera, dum in corpore maneret, tenuit fides, ab omni cruciatu inferorum redde extorrem: ut segregata ab infernalibus claustris, Sanctorum mereatur adunari consortiis. Per.

Oratio votiva universalis. Quaesumus, omnipotens Deus; Sanctorum tuorum precibus imploratus, vota humilium respice, atque ad defensionem nostram dexteram tuae maiestatis extende: et animabus famulorum famularumque tuarum *ill.* et *ill.*, quorum commemorationem celebramus, vel quorum eleemosynas accepimus, seu etiam parentum et familiarium nostrorum, et quorum corpora in hoc loco re-

quiescunt, remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut te miserante ad vitam perveniant sempiternam. Per.

Oratio in coemeteriis. Deus, cuius miseratione animae fidelium requiescunt, famulis et famulabus tuis *ill.* et *ill.*, omnibus *(sic)* in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum: ut a cunctis reatibus absoluti, sine fine laetentur. Per.

Alia. Omnipotens sempiterne Deus, annue precibus nostris ea quae poscimus; et dona omnibus fidelibus, quorum hic corpora requiescunt, refrigerii sedem, quietis beatitudinem, luminis claritatem: ut qui peccatorum suorum pondere praegravantur, eos supplicatio commendet ecclesiae. Per.

Oratio pro pluribus defunctis. Praesta, quaesumus, Domine, animabus famulorum famularumque tuarum *ill.* et *ill.* misericordiam sempiternam: ut mortalitatis nexibus expeditas, lux eas aeterna possideat. Per.

Alia. Deus, cui soli competit medicinam praestare post mortem, tribue, quaesumus: ut animae famulorum famularumque tuarum *ill.* et *ill.*, ab omnibus exutae peccatis, in electorum tuorum societatibus aggregentur. Per.

Alia. Inveniant, quaesumus, Domine, animae famulorum famularumque tuarum *ill.* et *ill.* omnium *(sic)* in Christo quiescentium, lucis aeternae consortium, qui in hac luce positi tuum consecuti sunt sacramentum. Per.

Alia. Animabus, quaesumus, Domine, famulorum famularumque tuarum *ill.* et *ill.*, misericordiam concede perpetuam: ut eis proficiat in aeternam, quod in te speraverunt et crediderunt. Per. ℟ Amen.

Seq. Requiem aeternam dona eis, Domine. ℟ Et lux perpetua luceat eis. *Deinde.* Animae istorum et animae omnium fidelium defunctorum requiescant *(sic)* in pace. ℟ Amen.

[His orationibus in *M* succedunt ℟℟ *quae dicenda sunt in agenda mortuorum*, eodem ordine digesta ut supra in codd. *T 96 sup.* (v. sup. p. 89; cf. vol. III, p. 479 et seq.); post quae statim ponitur seq. rubrica]:

Incipit ordo officii qualiter debet fieri in diebus septimis, trigesimis, sive annualibus defunctorum.

Finito Matutino defunctorum, eundo ad tumulum defuncti, cum cruce, incenso et aqua benedicta[a], *diaconus incipit ant.* I. Usque in vita mea. II. Memorare Dne. III. Adhaesit pavimento. IIII. Portio mea in terra. V. Vide Dne humilitatem. VI. Tu iussisti nasci me. VII. Credo quod Dnus. *Si fuerit episcopus, sacerdos, aut diaconus, dicuntur istae* II *ant. quae sequuntur:* In paradisum deducant te. *Al.* Tu es Dne protector. *Tunc diaconus dicit ant. duplam.* Redemptor meus vivit. ℣ Renovabuntur. *Psalm. (50)* Miserere mei Deus secundum. *Cantato psalmo diaconus debet tumulum incensare, et presbyter aquam benedictam dare. Finito psalmo, statim presbyter dicit orationem; finita oratione, statim cantatur* ℟ Qui suscitasti Lazarum. ℣ Requiem aeternam. *Finito* ℟, *statim sequuntur letaniae. His finitis, presbyter dicit orationem; finita oratione, fit finis, sicut supra in aliis officiis defunctorum.*

INCIPIT ORDO OFFICII AD AQUAM BENEDICTAM FACIENDAM.

In primis: Deus in adiutorium. ℟ Dne ad adiuvandum. Gloria Patri. Sicut erat in principio, et nunc, et semper. All. *Tunc exufflet sacerdos in sale in modum crucis, dicendo Exorcismum salis:* Exorcizo te creatura salis, etc. *(reliq. ut in R, vol. III, p. 463 et seq., ubi in notis habentur variantes cod. M).*

HYMNUS AD PLUVIAM POSTULANDAM.[a]

Squalent arva soli pulvere multo: pallet siccus ager, terra fatiscit: nullus ruris honos, nulla venustas: quando nulla viret gratia florum.

Tellus dura sitit, nescia roris: fons iam nescit aquas, flumina cursus: herbas nescit humus, nescit aratrum: magno rupta patet turpis hiatu.

(a) cf. Daniel, *Thesaurus hymnologicus*, I, 29, 31, et IV, 110.

Fervens sole dies, igneus ardor: ipsas urit aves; frondea rami: fessis tecta negant; pulvis arenae: sicco despuitur ore viantis.

Ventis ora ferae, bestia ventis: captantesque viri flamina ventis: ventis et volucres ora recludunt: hac mulcere sitim fraude volentes.

Foetus cerva suos, pignore cerva: foetus cerva siti fessa recusat: foetus cerva pios moesta relinquit: quaesitam quoniam non vehit herbam.

Venerunt iuvenes, pocula noti: quaerentes putei; lymphaque fugit: et vasis vacuis tecta revisunt: fletus heu proprios ore bibentes.

Bos praesepe suum linquit inane: pratorumque volens carpere gramen: nudam [1] versat humum, sic pecus omne: fraudatum moriens labitur herbis.

Radices nemorum rustica plebs: explorat misero curva labore: solarique famem cortice quaerit: nec succos teneros arida praestat.

Hanc peccata famem nostra merentur: sed merce propria, Christe, faveto: quo culpa gravior, gratia maior: iusti supplicii vincla resolvat [2].

Iam caelum [3] reseres, arvaque laxes: foecundo placidus imbre, rogamus: Heliae meritis impia saecla: donasti, pluvia nos quoque dones.

Gloria tibi, Pater.

℟ *ad Vesp.* (sic). Quaerite bonum, et odite malum: diligite Dnum, qui vocat aquas maris [4] et effundit eam (*sic*) super fatiem terrae: Dnus nomen est illi: all., all. ℣ Congregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos, timeat Dnum.

Ant. Pluviam voluntariam et necessariam dona nobis, Dne. *Ant.* Operi, Dne, caelum nubibus, et para terrae pluviam [(a)].

1. *suppl. 2 ma.* — 2. *2 ma:* unda resolveris. — 3. *2 ma.* caelos. — 4. *2 ma.*

(*a*) In *M* ℟ et ant. cum notis musicis.

Orat. Deus omnipotens et clemens, qui solus das pluviam super terram, solus mittis aquas sub inferiora caelorum, da servis tuis beneficium pluviale: ut quod nostra facinora suspenderunt, tuo munere protegetur. Per.

Alia. Omnipotens sempiterne Deus, qui salvas omnes, et neminem vis perire, aperi fontes benignitatis tuae: et terram aridam aquis fluentibus dignanter infunde. Per.

Alia. Deus, in quo vivimus, movemur et sumus, pluviam nobis tribue congruentem: ut praesentibus subsidiis sufficienter adiuti, sempiterna fiducialiter appetamus. Per.

Alia. Delicta nostra, quaesumus, Dne, miseratus absolve: et aquarum subsidia praebe caelestium quibus, terrena conditio vegetata subsistat. Per.

HYMNUS AD SERENITATEM POSCENDAM.

Obduxere polum nubila caeli: absconduntque diem sole fugato: noctes continuas sidere nudas: et lunae viduas carpimus olim.

Aether dira micat igne corrusco: concussoque tremit cardine mundus: caeli porta tonat, ruptaque credas: axis aetherei vincla resolvi.

Excrescunt pluviis aequora ponti: nec fines proprios iam freta norunt: terrarum medio fluctuat unda: errabunda secat arva carina.

Porta nauta suos, littora nauta: secessusque suos nauta requirit: hospes nauta satis, vitibus hospes: messes nauta supernavigat hospes.

Flentes agricolae culta relinquunt: spectant naufragium triste laboris: messis laeta natat, semina, census: nati tecta, pecus arvaque migrant.

Cernas alta domus culmina ferri: mutatisque locis limina [1] poni: moestas inter aves ludere pisces: pisces in tremulis ludere tectis.

Eversa videas arbore nidos; pullis cum teneris per

1. *2 ma.* culmina.

freta duci: nec matrem exilio ponere curas: maioresque metu cogere foetus.

Spectat turba virum, turba fenestris: spectat feminei turba pudoris: deploratque famem turba precantum: victum navigiis nauta ministrat.

Ihesu, parce tua morte redemptis: prior dilivium pertulit aetas: ut mundaret aqua crimina terrae: sed mundata tuo sanguine terra est.

Iam tunc [1] missa ferens ore columba: ramum paciferae munus ulivae: exutas liquido flumine terras: laeto significet lapsa volatu.

Gloria tibi, Pater.

℟ Exaudi, Dne, voces servorum tuorum; et dona nobis hodie serenitatem. ℣ Dne, exaudi orationem nostram; et clamor noster ad te perveniat: et dona.

Ant. Dne, salva nos, perimus: impera, et fac Deus tranquillitatem magnam. *Ant.* Dormiente Ihesu in navicula, ecce motus magnus factus est in mari; et suscitaverunt eum discipuli eius dicentes: Dne, salva nos, perimus: at ille surgens imperavit ventis, et facta est tranquillitas magna. All. all. all. all. all. [(a)]

Orat. Ad te nos, Dne, clamantes exaudi, et aeris serenitatem nobis tribue supplicantibus: ut qui pro peccatis nostris iuste affligimur, misericordia tua praeveniente, clementiam sentiamus. Per.

Alia. Da nobis, quaesumus, Dne, piae supplicationis effectum, et pestilentiam famemque propitiatus averte: et ut congruam tibi exhibeamus servitutem, et propitiationis beneficia semper inveniamus. Per.

Alia orat. Deus, qui fidelium precibus flecteris, et humilium confessione placaris, conversis ad te propitiare sup plicibus: et quos fecisti iram intelligere castigantis, fac misericordiam sentire parcentis. Per Dnum.

1. *I ma.* ramum.

(*a*) In *M* ℟ et ant. cum notis musicis.

EXPOSITIO MATUTINI OFFICII
S. AMBROSIANAE MEDIOLANENSIS ECCLESIAE
edita a S. Theodoro archiepiscopo eiusdem ecclesiae.

[Hic ad maiorem devocionem legentium ac celebrantium divina offitia promovendam, ponitur speculum matutinalis offitii, iuxta morem beatissimi Ambrosii. Et ne careat auctoritate, editum fuit a beato Theodoro ecclesiae Mediolanensis praesule. Matutinum igitur, ut supra saepe dictum est, incipitur a versu: *Deus in adiutorium meum intende*: et ℟ *Domine ad adiuvandum me festina. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in secula seculorum Amen. Alleluia.* Ad statim dicitur hymnus: *Aeterne rerum conditor,* per totum annum quotidie, hoc loco: et finito hymno, dicitur semper unum Responsorium secundum naturam offitii de quo agitur. Et quamvis in hoc volumine solum contineantur necessaria ad celebrationem horarum, dimissaque sint cerimonialia principalis ecclesiae, tamen ne speculum dividatur, integre positum est: ut unusquisque possit ad libitum omnia meditari, ac ex hoc sibi necessaria sumere. Sequitur] (1).

Responsorium post hymnum in hoc loco solent cantare tantum ebdomadarii diaconi; nam archidiaconus per excellentiam principalitatis nullam servat ebdomadam: ac per hoc huiusmodi responsoria non cantat, nisi in maioribus sollemnitatibus. Semper autem antiphonam primam incipit, idest *Benedictus es,* vel *Laudabilis,* quemadmodum solet in aliis officiis, excepto quando memoratum responsorium cantat: quotiens enim archidiaconus cantat responsorium, pontifex

(1) [Hic ad maiorem.... sumere. Sequitur]. Haec desiderantur in cod. *M*, et in alio cod. Ambr. I, 152, inf., sed inveniuntur in Breviario Ambrosiano, an. 1490, edito a Petro Casola ordinario Ecclesiae Mediolanensis, qui primus hoc *Speculum* typis vulgavit. Variantes lectiones cod. ambr. in notis seq. indicabo sigla *a*.

inchoat antiphonam in hymno trium puerorum, si praesens fuerit; quod si defuerit, idem archidiaconus, cantato responsorio in eodem hymno, incipit antiphonam.

Tunc cantatur hymnus, quem cantabant tres pueri in fornace, ut persecutionem et tribulationem eorum ad memoriam reducamus. Hunc hymnum primum cantamus cum antiphona et sua *Gloria,* postquam per responsorium excitati sumus; quia omnes qui pie volunt vivere in Christo persecutionem patientur. Nostra ergo vita ad beatitudinis perfectionem non pervenit, nisi prius transeat per fornacem, atque in fornace benedicat Domino; dicit Sapientia: Vasa figuli probat fornax, et homines iustos temptatio tribulationis. Probati igitur per fornacem, idest per multas tribulationes, ut patientia opus perfectum habeat, ad requiem laborum quandoque perveniemus [1]: sic enim Sapientia persecutionem sustinentibus promittit: Reddet Deus mercedem laborum eorum, et deducet illos in via mirabili. Bene itaque labor nocturni offitii ab hymno in fornace inchoatur, ut ad finem coeptum opus perducatur, quemadmodum persecutionem patientes ad mercedem laborum perveniant. Hunc autem hymnum vociferari solent: qui enim vociferantur magis in voce laborant; in quo etiam labore patientiam [2] eorumdem puerorum recolimus. Aliquando etiam hymni vociferatio ad hylaritatem vocis et confessionem laudis celebratur.

In initio huius hymni accenduntur duo cerei per manus pontificis nostri, quo officio nullus eo absente fungitur. Et quia huiusmodi accensio ad initium hymni soli pontifici debetur, eiusdem hymni ab eo antiphona [3] incipiatur. Duo cerei duo praecepta caritatis intelliguntur, quae ad nostras vigilias accendi oportet, ut ait Apostolus: Vigilate et orate, et omnia vestra in caritate fiant: quorum accensio quomodo huic hymno conveniat consideremus. Dictum est enim superius, quia in hymno patientia puerorum demonstratur:

1. pervenimus, *a.* — 2. patientiae, *a.* — 3. antiphona ab eo, *a.*

in quo addiscimus sine patientia vivere non posse; sed tamen nulla tribulationis vel persecutionis angustia sine dilectione [1] caritatis nos pie vivere faciet, habentibus enim patientiam ceterasque virtutes absque caritate nihil proficit, Paulo attestante, qui ait: Si habuero tantam fidem, ut montes transferam, caritatem non habeam, nihil sum; et si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, caritatem non habuero, nihil mihi prodest. Quod autem subiungit: Caritas benigna est, patiens est; aperte demonstrat caritatis et patientiae virtutem simul esse connexam. Recte igitur cereorum accensio huic hymno adhibetur: Pontifex qui accendit vicarius est Christi, qui in lege praecepit dicens: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et proximum tuum sicut te ipsum; ille per quem cerei praesentantur in hoc libro *(sic)* Moysen significat, per quem data est lex. Ponuntur deinde super candelabra iuxta latera altaris altrinsecus, ut sint duo candelabra lucentia ante Dominum: lucent enim praecepta caritatis sicut dicit Iohannes: Qui diligit fratrem suum, in lumine manet; sed in dilectione fratris, etiam Dei dilectio intelligitur, ut idem quo supra: Qui diligit fratrem suum ex Deo natus est, et in hoc caritas est perfecta; nam qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere? Et per hoc datur intellegi, ut qui diligit fratrem suum diligat Deum, et ita sit in utraque dilectione, idest fratris et Dei, in [2] lumine maneat: atque hoc est quod dicit, duo sint candelabra ante Deum.

Hymnus iste capitellum habet in fine, per incoeptorem officii dicendum: *Benedictus es Deus;* hoc autem capitellum ab eodem hymno derivatum, velut intercallare per omnes psalmos, sive per singula cantica nocturni, eodem ordine repetitur. Unde perspicere possumus sequentes psalmos ad ipsius hymni figuram intendere. In eo etiam quod per incoeptorem huius officii suo loco repetitur, et per eundem benedictiones

1. adiectione, *a.* — 2. et in, *a.*

legentibus dantur, de quibus postea dicetur, facile potest intellegi, totum nocturnale officium unam eandeque vim significationis obtinere. Hoc enim noctis officium illud veteris testamenti tempus significat, in quo multi summo cordis desiderio adventum Domini sustinebant, expectantes redemptionem Israel, ut liberarentur secundum propheticum illud Esaiae: Clamabant ad Dominum a facie tribulantis, et mittet eis propugnatorem et salvatorem qui liberet eos. Erant enim sedentes in tenebris et [1] umbra mortis, sicut hi tres pueri in fornace ignis; sicut autem Esaias dicit: Populus gentium, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in tenebris et umbra mortis, lux orta est eis. In ipsa tribulatione tenebrarum veteris testamenti sumus in nocturno: deinde, finitis lectionibus, gaudio et consolationi novi testamenti approquinquamur, in quo prophetia impleta est, quae dicit: Deus ipse veniet, et salvabit nos. Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt, et tunc omnis Israel salvus fiet: quare omnes dicimus *Benedictus Dominus Deus Israel: quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suae;* sed hoc postea dicendum reservemus.

Nunc de institutione canticorum, vel psalmorum, dicamus. In cotidianis diebus solemus psalmos cantare ante lectiones sub tribus distinctionibus antiphonarum; in dominicis autem noctibus, non psalmos sed cantica cantamus. Nostri enim instructor officii quanta sit differentia inter psalmum et canticum perspicere curavit; unde diem dominicum a cotidianis etiam in officio differre voluit. Ita legimus in tractatu psalmorum. Discreverunt enim [2] quidam inter canticum et psalmum; quoniam canticum ore profertur, psalmus vero adhibito visibili [3] organo, idest psalterio, canitur: organum enim vel psalterium musicum est instrumentum. Videtur ergo in cantico significari intelligentia mentis, psalmo vero [4] corporis: nam intellegentia mentis, licet soli Deo cognita sit, ab hominibus tamen non videtur;

1. et in, *a.* — 2. enim: *deest a.* — 3. vigili, *a.* — 4. vero opera, *a.*

opera autem quae facimus ab hominibus videntur velut illud visibile instrumentum. Nulli ergo dubium est per operam [1] corporis, activam vitam significari, et per intelligentiam mentis, contemplativam, quae solummodo intellectu perspicitur. Cotidiani itaque dies activae vitae conveniunt, in quibus opus nostrum perficimus; dominicus autem dies, in quo ab operibus requiescimus et laudem Dei celebramus, intellectualem [2] et aeternam vitam designat, in qua requiem et laeticiam sempiternam celebrabunt omnes tribus terrae, et cantabunt canticum novum Deo et Agno. Per dominicum scilicet diem, qui primus est et octavus, resurrectio nostra designatur, quasi octava aetas, quae nunquam finem habitura, non actione [3], sed in speculatione modo habetur. Haec etiam eadem cantica nocturnalis offitii ad iocunditatem et laetitiam dominicae resurrectionis cantantur; canticum etiam [4] a canendo dicitur, ut *Amalarius* dicit: In cantando hylaritas est, ut canticus [5] saepissime in laetitia celebratur.

Cantica autem nocturni sunt tria: quia in operibus tenebrarum ceu sicut in nocte tria sunt originalia vitia, idest, suggestio diaboli, carnis delectatio, consensus animi; adversus quae cantamus tria cantica vice trium virtutum, scilicet, fidei, spei et caritatis; ut sint nobis arma lucis ad abiiciendum opera tenebrarum, ut honeste possimus ambulare, ut in die exuti veterem hominem; per nocturnale officium, quod totum vetus testamentum significat, perveniendum est ad matutinale, quod novum significat testamentum, in quo novum hominem nos oportet induere: sive tria cantica cantantur in dominica nocte ad gloriam dominicae resurrectionis, quia die tertia post passionem Christus a mortuis resurrexit. Eadem cantica sive psalmos per noctes antiphonatim solemus cantare: ut tripartita narrat hystoria, in X, lib. CVIII, ab Ignatio episcopo Antiochiae antiphonarum usus in ecclesiis primum coepit frequentari; ita enim [6]

1. opera, *a.* — 2. inactualem, *a.* — 3. in actione, *a.* — 4. autem, *a.* — 5. et cantus, *a.* — 6. narrat.... enim: *a* om.

narrat: Dicendum tamen est, unde sumpsit initium, ut in ecclesia antiphonae decantentur. Ignatius Antiochiae Syriae post apostolum Petrum episcopus, qui etiam cum ipsis [1] degebat, vidit angelorum visionem quomodo per antiphonas dicerent hymnos: isque modus visionis antiochenae traditus fuisse probatur ecclesiae, et ex hoc ad cunctas transivit ecclesias. Antiphona dicitur reciproca: ab ea enim psalmus incipit, et in eandem desinit. Antiphona inchoatur ab uno unius chori, et ad eius symphoniam psalmus decantatur per duos choros; una ergo antiphona duo chori coniunguntur, de qua Amalarius de offitiis sic dicit: Quanto melior est anima corpore, tanto melior est animae cantus quam corporis. Igitur intendendum est, quae sit antiphona animae: videtur nobis virtus dilectionis, quae coniungit opera duorum fratrum simul; nam psalmi ad operam referuntur, ut superius dictum est. Quod autem antiphona secundum verba Amalarii virtutem dilectionis significet, ex praesenti etiam officio potest comprobari; nam duo cerei, quos geminam dilectionem significare diximus, tunc ad [2] accendendum producuntur, quando prima in toto nocturno antiphona inchoatur, scilicet in hymno trium puerorum: ut post responsorium excitati sumus, ante cetera nocturnarum vigiliarum officia antiphona cantetur simulque luminaria accendantur, iuxta illud Apostoli: Estote prudentes, et vigilate in orationibus; ante autem omnia [3] mutuam in [4] vobismetipsis caritatem continuam habentes. Quando autem pontifex inchoat eandem antiphonam, ut supra diximus, idemque luminaria accendit, aperte demonstratur coniunctum esse officium et antiphonae inceptionis et cereorum accensionis, et ad unam eamdemque rem pertinere, idest ad virtutem dilectionis.

Dicendum etiam nobis videtur de tertio nocturnali cantico [5], quod alternatim pro qualitate temporis permutatur: tempore hyemis cantatur canticum Esayae [6] prophetae in

1. de ipsis, *a.* — 2. ad: *deest a.* — 3. omnia: *deest a.* — 4. in: *om. a.* — 5. cantico nocturnali, *a.* — 6. *al. ma. in a add.:* ymo Abacuc; Abachuc *in Brev. ambr.* ed. 1499.

tertio loco, idest *Domine audivi*, quod adventum Domini et nativitatem eius continere cognoscatur: nativitas enim Domini mense decembris, scilicet in hyeme, celebratur. Cuius loco, adveniente aestate, cantamus canticum Ionae prophetae *Clamavi ad Dominum Deum meum*, incipientes illud in resurrectione Domini, quod sepulturae et resurrectionis eius significationem obtinere videtur.

Deinde leguntur lectiones, quarum usus sumptus est a veteri testamento. Ut enim Amalarius de officiis dicit: Lectiones nocturnalis offitii typum gerunt earum lectionum quae solebant in patrum scholis [1] fieri, in quibus nescientes imbuebantur, et licitum erat [2] interrogare in quibus dubitabant: nostra autem dubitatio non ita se habet, ut interrogatione fruatur; sed tunc dubitare videmur, quando intentis auribus quae intelligenda sunt auscultamus, ut postquam dicta fuerint, ad plenam cognitionem perveniant, veluti si aliquem interrogaremus. Scriptum est in Actibus Apostolorum: Hi autem erant nobiliores [3] eorum qui sunt Thessalonicae, qui susceperunt [4] verbum cum omni aviditate, cotidie scrutantes scripturas. Huiusmodi scripturarum susceptio vel scrutatio in significationem illius dubitationis habetur, quae apud veteres in scholis habebatur [5]. Lector doctoris vel praedicatoris offitium gerit; debet enim legem Domini tradere auditoribus, quasi incipientibus in schola Domini exerceri; dent lectores sive doctores precium Domini, idest verba legis, et respiciant scholasticas mentes, scilicet vacantes ab emptione villae, ab emptione boum quinque iugorum, a ductu uxoris: schola enim vacatio dicitur.

Sequitur lectionem cantus, quem [6] vocant responsorium. Per lectionem, praedicationem veteris testamenti, quam [7] humiliorem possumus intelligere novi testamenti. Haec duo praedicamenta, idest lectio et responsorium, per Iohannis vitam et Christi designantur; nam quod ait Lucas evange-

1. scholis patrum, *a*. — 2. erat eis, *a*. — 3. ex nobiliores (sic) *a*. 4. suscipiunt, *a*. — 5. fiebat, *a*. — 6. qui, *a*. — 7. que, *a*.

lista: Lamentavimus, et non plorastis, ad Iohannem pertinet, cuius abstinentia a cibo et potu luctum poenitentiae significabat: Quod autem cantavimus tibiis, et non saltastis, ad ipsum Dominum, qui utendo cum ceteris cibo et potu, laeticiam regni figurabat; at Iudaei nec humiliari cum Iohanne, nec gaudere cum Christo voluerunt. Sicut autem suavius est novum testamentum veteri, ita vulgo suavius est [1] cantus lectionis. Praesentes lectores et cantores, quibus est surgere opus, negotia Domini habent, quibus dicitur: Negotiamini dum venio; quae negotia habebat Paulus apostolus, sicut scriptum est in Actibus apostolorum: Et ingressi synagogam die sabbatorum, sederunt; post lectionem [2] legis et prophetarum, miserunt principes synagogae ad eos, idest ad Paulum et Barnabam, dicentes: Viri fratres si quis est in vobis sermo exortationis ad plebem dicite. Surgens autem Paulus, et manu silentium indicens, ait, et reliqua. Per lectoris et cantoris officium possumus intelligere patremfamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera: tunc enim nova et vetera proferuntur, cum utriusque testamenti praedicamenta vocibus et moribus loquuntur.

Quamdiu haec duo celebrantur, idest responsoria et lectiones [3], sedere solemus more antiquorum; unde sanctus Ambrosius in tractatu ad Corinthios: Haec tertia traditio synagogae est, quam nos vult sectari Apostolus, quia christianis quod scribitur, sed ex gentibus factis non ex iudeis, ut sedentes disputent seniores dignitate in cathedris sive in subseliis, novissimi in pavimento super mattas: et haec exemplis Amalarii aliorumque supradictorum de lectionibus et responsoriis satis dicta sufficiant.

Ultima autem lectio finem imponit nocturno, quam non sequitur responsorium. Mos inolevit in romana ecclesia, iuxta institutionem beati Gregorii papae, ut etiam post ultimam lectionem canant responsorium, ita ut quotquot sint lectiones,

1. videtur, *a.* — 2. *a add.*: autem. — 3. lectiones et responsoria, *a.*

totidem sint et responsoria. Post responsorium vero [1] non cantant statim antiphonam, neque psalmum, neque canticum cum antiphona, ideo praecedenti lectioni responsorio respondent: nos autem huius responsorii loco antiphonam habemus, quam sequitur canticum Zachariae; nam et antiphona cantus est, quemadmodum et responsoria; at per hoc, quotquot legantur lectiones in nocturno, post tertiam lectionem et item tertium non habetur responsorium, sequente scilicet cantu antiphonae. Igitur ultimae lectioni semper antiphona respondet, excepto in authentica; sed ideo tunc ultimae lectioni non respondet antiphona, quia canticum dimittitur, cuius est propria, propter necessariam causam, videlicet ut in sequentibus demonstrabitur.

Tres lectiones ideo leguntur, quia sex aetates mundi sub [2] tribus temporibus concluduntur, scilicet naturalis legis, legis et litterae, legis et gratiae. Ideo autem sex lectiones in Parasceve leguntur, quia sexta aetate mundi, et sexta feria, et hora diei sexta, Dominus in crucem ascendere voluit; et legitur ultima lectio per pastorem nostrum. De lectionibus, quare per pastores legantur apud romanos, Amalarius ita pronuntiat: Lectiones quae per pastores recitantur, domesticos et scientes admonent, ut non deficiant; sicut ligna in focis adduntur lignis, ut non deficiat ignis, ita ignitis sensibus domesticorum adduntur verba ignita pastorum, ut non deficiant. In natali Domini seu in epiphania novem lectiones quae leguntur conversationi novem ordinum angelorum, et gaudiis eorum nos coniungunt; tunc enim locutus est angelus ad pastores, dicens: Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, etc.; et subito facta est multitudo militiae caelestis laudantium Deum; quorum consortio adhaeremus in laudando Deum iuxta numerum novem lectionum.

Exposito itaque nocturnali officio, prout potuimus, deinde quod sequitur, explicare conemur.

Matutinale officium tempus novi testamenti mentibus

1. autem, *a.* — 2. sub: *deest a.*

nostris intimat, hoc est, ab initio baptismi, usque ad plenam remunerationem, quam promisit Deus vere [1] iurando Abrahae et semini eius in aeternum. Eodem tempore, idest matutinali, baptizati sunt filii Israel in mari rubro, ut Exodus narrat: Factum est, inquiens, in vigilia matutina, et ecce respiciens Dominus super castra aegyptiorum, et interfecit exercitum eorum, et reliqua: quando isti sunt interfecti, tunc baptizati [2] sunt filii Israel. Tempore etiam matutini lucifer oritur, quod per plurimum tres horas noctis, idest totam vigiliam matutinam, illuminare perhibetur: similiter tempore novi testamenti ortus est nobis verus lucifer, qui tenebras peccatorum mirifico adventu suo fugavit, et diem salutis credentibus annuntiavit, quando visitavit et fecit redemptionem plebis suae.

Post nocturnas vigilias in matutinis laudibus primum canticum canitur Zachariae, in eo enim loco matutinus [3] solet dies illucescere, et de ipso die, qui nullis fuscatur tenebris, dictum est: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit* [4], etc. quia, sicut adveniente sole super terras dies est, ita adveniens Dominus abstulit omnem caliginem noctis, et ubi non erat lumen, facta est claritas et apparuit dies. Tunc enim dies apparuit nobis [5] non habentibus lumen, quando nos tenebris infidelitatis expoliavit Dominus Deus Israel visitando nos per incarnationem [6] suam, et liberando ab infernorum tenebris sedentes in umbra mortis, visitans nos [7] per mortem et resurrectionem suam. Et quia [8] multiplici miseratione consolatus est nos redemptor noster [9], scilicet nascendo, moriendo, resurgendo, congruum valde est ut quotidie in universa terra [10] canatur; dicit enim: *et fecit redemptionem plebis suae*. Animadverte quam redemptionem fecisse plebi [11] suae dicat Zacharias, et quam redemptionem fecit plebi [12] suae *(sic)*. Videtur enim solum dicere de nativitate eius, cum

1. iure, *a.* — 2. interfecti *(sic)*, *a.* — 3. matutinis, *a.* — 4. *a add.*: *et fecit.* — 5. in nobis, *a.* — 6. *a add.* et nativitatem. — 7. eos, *a.* — 8. quia: *deest a.* — 9. nos: *deest a.* — 10. ecclesia, *a.* — 11. plebis, *a.* — 12. plebis, *a.*

dicit: *Erexit nobis cornu salutis in domo David pueri sui; sicut locutus est per os sanctorum prophetarum:* in domo David erexit [1] cornu, quia ex regali progenie David ortus est nobis sol iustitiae; et post pauca subiungit: *Iusiurandum quod iuravit ad Abraham daturum se nobis,* idest promisit nascendo praesentaturum se nobis; sed, ut non [2] ad resurrectionem eius referatur, *fecit redemptionem plebis suae,* ex offitiis ebdomadae maioris, quae authentica appellatur, potest comprobari, in qua nec nostro, nec defunctorum officio, canitur canticum illud; quia in illa ebdomada mortem Domini celebramus in omnibus offitiis, et eum tunc quasi [3] mortuum assignamus [4]: cum autem impleta sunt quae de eo scripta sunt, illucescente [5] die resurrectionis, plenissime redemptione [6] nunc facta, merito dicitur: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suae,* etc. in cuius etiam ultimo versu potest intelligi quod [7] *fecit redemptionem plebis suae* ad resurrectionem, sicut ad nativitatem referri potest; dicit enim: *illuminare hi qui tenebris et umbra mortis sedent.* Ubinam obscurior umbra mortis vel tenebrarum quam apud inferos? Eos ergo illuminavit, quos in sepulcro positus eripuit ab inferis, claustra dissipans inferni, ad perpetuae beatitudinis lucem perduxit [8]. Etsi totum illud Zachariae solum ad nativitatem referatur, bene enim [9] omnia colligit, quia ad hoc natus est, ut pateretur, et moreretur, et resurgeret, et ita perficeret redemptionem plebis suae benedictus Dominus. Pro defunctis etiam ad matutinum canitur, ostendens eos etiam [10] de plebe Domini non esse in oblivione coram Deo; ut, sicut nos redempti sumus ne viventes pereamus, ita et redempti sunt qui, mortui corpore, in animabus suis in aeternum vivunt.

In Dedicatione ecclesiae, quam universaliter annue celebramus mense octavo, dieque dominico, canticum Zachariae

1. *a add.:* nobis. — 2. non: *deest a.* — 3. quasi tunc, *a.* — 4. *a add.:* ergo, quia nondum resurrexit, convenienter intermittitur. — 5. illucescere, *a.* — 6. *in M* redemptio. — 7. intellegi qui, *a.* — 8. adduxit, *a.* — 9. tamen, *a.* — 10. esse, *a.*

intermittitur; quia tunc nobis ad memoriam tempus illud reducitur, quando Salomon templum suum septem annis aedificavit, octavo anno in magna gloria [1] dedicavit: cuius templi dedicatio prima a Salomone tempore autumni facta est, scilicet eo mense, qui a nobis appellatur october [2]; et eiusdem mensis dies illa, in qua Salomonis dedicatio facta fuerat, ante [3] per legem erat statuta solemnitas, ita ut in ea tabernaculum omne per annos singulos maioribus hostiis expiari deberet. Zacharias autem eiusdem antiquis expiationibus ad altare deserviens, adveniente angelo, de dominicae mysterio nativitatis instruitur prophetaturus, per [4] nativitatem filii aperto ore, et dicturus: *Benedictus Dominus Deus Israel.* Nos ergo illud tempus Salomonis recolentes, ut supra diximus, hoc canticum dimittimus, quia nondum ad Domini incarnationem pervenimus, de qua in eodem cantico aperta demonstratione narratur; cuius vice ponitur canticum Ionae prophetae, quod ipse in ventre piscis composuit; dicit enim: *Expulsus sum ab oculis tuis: rursus videbo templum sanctum tuum* [5]. Haec omnia ad dominici corporis templum referuntur, de quo ipse iudeis: Solvite, inquit, templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud; quia solutum passione corpus suum in scissuris montium, idest in monumento exciso in petra, positum fuerat. Idem est etiam quod sequitur: *Descendi in terram,* idest in sepulturam; atque hoc est quod dicit: Sicut Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, ita erit filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus. Congrue igitur in Dedicatione ecclesiae illud canitur canticum, in quo Ionas in ventre piscis assignatur, in figura dominici corporis sepulturae tradendi; quia templum dedicatum corpus Christi tenemus.

In Adventu Domini non canitur canticum [6] Zachariae

1. magnam gloriam, *a.* — 2. octuber, *a.* — 3. antea, *a.* — 4. prophaturus, *a.* — 5. *a* add.: *Circumfusa est mihi aqua: abissus circuivit me. Postremum est caput meum in scissuris montium; descendit in terra: sed veniet oratio mea ad templum sanctum tuum.* — 6. canticum: *om. a.*

diebus dominicis, quia in illis diebus in omni offitio specialius adventum Domini proclamamus: eum [1] scilicet adhuc expectamus, quod quasi nondum venerat ad faciendam redemptionem plebis suae, in cuius loco canitur canticum Deuteronomii, idest secundae legis; duae enim leges veteri populo per Moysen datae sunt, iubente Domino; et duo sunt testamenta, primum in quo sub his legibus omnia illis in figura contingebant, secundum in quo per evangelium omnia nobis in veritate proveniunt; quia lex per Moysen data est, gratia autem et veritas per Ihesum Christum facta est, cuius gratia et veritas in novo testamento [2] in hoc suo adventu habent [3] initium: convenit igitur ut in novo testamento, quod post novam [4] legem significari videtur; unde quasdam antiphonas eiusdem, quodammodo cantici explanatione, canimus: *Expectetur sicut ros Salvator mundi; et descendat in uterum Virginis sicut ymber super gramen;* hoc enim de incarnatione eius dictum esse satis patet.

Ad canendam antiphonam ad crucem, non incaute lectores procedunt. Ubicumque enim dispersi fuerint infra lectionum recitationem, in unum colliguntur ad crucis processionem; et incedentes recta linea per medium chori, quasi pro custodia sequitur eos primicerius eorum, velut pastor ovium, secundum illud: Eratis aliquando sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum; eum, pastorem dicit Apostolus, qui animam suam ponit pro ovibus suis [5], qui etiam oves suas adducit, ut vocem suam audiant, ut a veritatis recto tramite non recedant [6]. Admonet denique discipulos suos primicerius, ut vocem magistri auscultent, et psallentes religiose incedant: et ita eos adducit pastor eorum ante conspectum crucis, in qua bonus pastor animam suam pro nostris animabus posuit: convenienter itaque de sacerdotali ordine primicerius lectorum eligitur, quia in hoc loco veri sacerdotis

1. cum, *a.* — 2. veritas, idest novum testamentum, *a.* — 3. habeat, *a.* 4. per secundam, *a.* — 5. suis pro ovibus, *a.* — 6. discedant, *a.*

officio inservit. Quod autem de ecclesia[1] exeuntes in processione ad crucem, a latere tantum circumdant ecclesiam, intelligitur quod sponsus ecclesiae Christus, totum corpus ecclesiae sponsae suae, perfosso latere, sanctificavit et sacrificavit: ut enim de costa Adae dormientis formata[2] est Eva, et sic de latere Christi in cruce pendentis formata est ecclesia. Et quia redemptionem plebi suae per crucem fecerat Dominus Deus Israel, congruo loco post canticum Zachariae crucis laudes admittuntur. Ordinantur ergo lectores, qui prius canunt antiphonam in modum coronae, ut si Deum crucifixum in carne laudant, eum ante secula viventem absque initio et in aeternum victurum sine fine percipiant: est enim circulus coronae initio[3] carens et fine. Vociferant enim[4] in sequenti modulatione eiusdem antiphonae prius repetiti sunt a Domino miserationibus *(sic)* quia ambulando de virtute in virtutem, excitantur corda nostra in melius, ut digniores divinis laudibus repraesentemur; exclamant ergo iuxta illud: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam. Ad quorum vociferationem ceteri quoque sacri ordinis ad eandem canendam antiphonam promoventur, velut eorum excitatione et praeconio provocati ad eandem laudem exhortentur; quia quod priores prophetae cecinerant, hoc sequentes sancti libera praedicaverant voce, secundum illud propheticum psalmigraphi: Annuntiabit iustitiam eius populus qui nascetur; et alibi idem psalmista dicit: Plebs quae creabitur, laudabit Dominum. Sed pueri cum maioribus ad crucem non procedunt: in choro autem lectorum canunt, tamen cum lectoribus de ecclesia non exeunt, quia Domino passioni appropinquanti in templo clamabant: Benedictus qui venit, etc. Canitur autem huiusmodi antiphona in Adventu Domini septies; tunc enim eius incarnationem celebramus, eiusque praestolamur adventum, qui de Maria virgine natus de Spiritu sancto conceptus; sic enim per Angelum ad Ioseph virum Mariae dictum

1. de ecclesia: *deest a.* — 2. fabricata, *a.* — 3. et in.... initio: *om. a.* — 4. etiam, *a.*

est: Quod in ea natus est de Spiritu sancto est. Ergo, quia operante Spiritu sancto conceptus et natus est de virgine venturus postmodum ad passionem crucis, rite in celebratione incarnationis ipsius antiphona ad crucem septies canitur, quia septenarius numerus Spiritui sancto attribuitur propter septiformem gratiam eius, vel quia septenarius numerus [1] vetus testamentum, in quo adventus Christi [2] sperabatur, significat propter septimum diem sabbati, qui in veteri testamento celeberrimus habebatur. In Quadragesima antiphona ad crucem non canitur, quia nemo praesentiam alicuius rei commemorat, sed potius absentiam; non enim dum te video tui recordor, sed postquam ablatus fueris ab oculis meis, recordor qualis fueris: habemus itaque eo tempore ante oculos prope imminentem passionem [3], quam ad [4] memoriam reducere non oportet. Mos etiam in plerisque ecclesiis cruces velare adhuc quasi absconditum crucis sacramentum, et postea in Parasceve easdem detegere [5]: ut deinde discoopertae videantur, velut revelatum et apertum crucis mysterium. Transacta autem passione, in resurrectione eius crucis iterum memoriam facimus, antiphonam ad crucem cantantes, in qua dicimus: *Per lignum Adam deceptus est, et per crucem mundus redemptus est;* haec enim solum antiphona, quae prima est, crucem commemorat; cuius similitudinem exprimunt ceterae quae sequuntur, quae tamen mentionem crucis non faciunt, quae scilicet et aliae post eam quinquies cantantur: quinarius enim numerus ternario et binario constat, quorum alter per alterum multiplicatus senarium perficit (bis enim tres, vel ter duo, sex fiunt) senarius autem numerus inter denarium solus perfectus est; ergo quia omnis scriptura prophetarum perfecta est et impleta, iure tunc antiphona per eum canitur numerum, in cuius partibus alterutrum multiplicatis perfectus procreatur numerus. In quinario etiam potest intelligi denarius, in quo

1. numerus, *deest a.* — 2. Domini, *a.* — 3. Domini passionem, *a.* — 4. ad: *deest a.* — 5. retegere. *a.*

minorum[1] summa consistit; nihil enim aliud est quinque *(sic)* quam iterum quinque; quinario igitur multiplicato[2], denarius crescit: recte igitur per eundem numerum canitur antiphona, quia[3] Christus ad hoc mortuus est et resurrexit, ut nos denarii mercede conductos, ad illum denarium produceret, quo numerus electorum complebitur.

Procedunt autem cruces, accensis candelis, secundum motionem canentium ante illam: eos namque[4] qui prius canunt, cum de loco ad locum permutantur, praevia cruce deducuntur; qui etiam postremo canunt, sua cruce procedunt[5], ita ut a conspectu praecedentium canentium ac subsequentium, crux non elongetur, donec coeptum iter perficiant. Magnum est mysterium crucis. Illuminati ergo lumine crucis, sine periculo offensionis vadunt; quamobrem ab inspectione eorum non removetur, in quo scilicet illud tempus recolitur, quo Moyses ad salutem populi morsu[6] serpentium salvabantur, qui eum aspiciebant; illuc autem non aspicientes peribant. Fit ergo ut per serpentem serpentium morsus non praevaleat; fit etiam ut per lignum crucis redempti, vetiti ligni morsu non ultra afficiatur; sic enim in evangelio Dominus dicit: Sicut exaltavit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis; ac si diceret: In cruce exaltari oportet Filium hominis[7], ut a diabolico morsu eruatur populus adquisitionis.

Deinde accenduntur cerea luminaria, quia ecce iam ignis columna resplendet: ignis enim columna, quae prius splendebat antecedendo filios Israel per transitum maris rubri, nunc iterum splendet deductura nos ad lavacrum baptismi, quod[8] per illius maris transitum significatur; unde in hac cereorum accensione canitur canticum Exodi, quod per mare rubrum transitum filiorum Israel per omnia commemorat. Sunt itaque duodecim cerea quae accenduntur, ante quae[9]

1. numerorum, *a.* — 2. duplicato, *a.* — 3. quoniam, *a.* — 4. ante eas: nam, *a.* — 5. praeceduntur, *a.* — 6. *a add.:* serpentium morituri aeneum serpentem erexerat; cuius a conspectu morsu serpentium salvabantur. — 7. ac.... hominis: *om. a.* — 8. qui, *a.* — 9. quas, *a.*

consistit ardens columnā, velut dux et praevia, quia duodecim tribus Israel illuminantur ignea columna, quae ducit eos ex aegyptiaca servitute. Hoc autem baptismale officium huius scilicet cantici quare crucis officio coniugatur, vel quare post crucis officium in ordine ponatur, videamus: scilicet, quia sicut baptismum per mare rubrum significatur, ita etiam per ipsum aquae rivulum designatur qui de latere Domini in cruce pendentis una cum sanguine manavit: post autem crucem [1] baptizamur. In eius [2] autem actione offitii, baptismi figuram continentis, quia accenduntur luminaria, consideremus quid ignis operetur in baptismo: ignis enim gratiam Spiritus sancti reportat, quod [2] in ignis specie supra singulos apostolorum resedit, in quo nos et [4] baptizari oportet, dicente Domino: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, etc.; et Iohannes testimonium perhibet de Domino, dicens: Ipse est qui baptizat in Spiritu sancto et igni; et alibi: Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni [5]; in qua Spiritus sancti operatione illud significabatur quod dicitur: Et Spiritus Dei ferebatur super aquas. Videmur autem et [6] in processione ad crucem per viam maris rubri incedere, quia mare rubrum idem est ut [7] unda aquae et sanguinis procedens de latere Christi pendentis in cruce, sicut iam dictum est: utramque sententiam [8] baptismum significatur. Crux itaque, velut columna erecta, accensis in ea luminaribus, deducit nos per viam quasi filios Israel, usque in terram bonam latam et spaciosam: secundum corporalem praesentiam ducit nos in chorum, in quo latius [9] recipimur; spiritaliter vero crux fidelis lumine claritatis suae adducit in terram bonam, de qua in psalmo XXVI propheta dicit: Credo videre bona Domini in terra viventium; et iterum in CXLV psalmo: Domine, dixi, tu es spes mea, portio mea in terra viventium; ad quam nos pervenire se sequendo admonet Dominus, cum dicit: Qui vult post me venire,

1. crucem autem, *a.* — 2. eiusdem, *a.* — 3. qui, *a.* — 4. et nos, *a* — 5. et alibi.... igni: *om. a.* — 6. et nos, *a.* — 7. et, *a.* — 8. utraque sententia, *a.* — 9. omnes latius, *a.*

abneget semetipsum, et [1] tollat crucem suam, et sequatur me; quae etiam adeo spatiosa est [2] omnibus bonis abundans, ut in illa terra nemo indigeat.

Redeamus ad ordinem. Tunc accenduntur luminaria, quia per regenerationem baptismi vitam aeternam in viventium terram adepti, indeficiente igne Spiritus sancti illuminamur, in quo baptizati sumus. Huiusmodi igitur officium per subdiaconum administratur, nam quod in veritate baptismi perficitur, in officii sui demonstratione figuraliter comprehenditur, cuius offitium istud in figura baptismi peragitur: nam, dum canticum Exodi cantatur, columna accenditur, ita et baptismum Iohannis in figura veri baptismi agebatur: et bene per subdiaconum, idest minorem diaconum [3] qui veraciter baptizandi officium sumit sicut et sacerdos; dicit enim Iohannes: Me oportet minui, illum autem crescere; se minorem commemorat eo, qui in veritate baptizabit, sicut idem commemorat [4]: Ecce qui tollit peccatum mundi, ipse vos [5] baptizabit in Spiritu sancto. Sed offitium subdiaconi respiciamus; namque cruces, quas supradiximus, cum luminaribus ad subdiaconum perducuntur, quibus non obvius occurrit tantae scilicet dignitati, neque eas salutat, sed immobilis persistens, eas ad se venientes expectat; quasi verbis ipsius Iohannis dicere debeat: Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me; sed Iohannes baptizandi implet offitium, dicente Domino ad eum: Sic decet nos implere omnem iustitiam; nec non et iste offitium quod coeperat, implere contendit. Tres igitur cruces, tres in aqua mersiones sunt [6]: quarum prima est: *In nomine Patris,* de qua non sumit sibi lumen accendendi cereos; secunda mersio est: *et Filii;* de secunda etiam cruce non illud lumen aufertur: de tertia cruce, quae tertia videtur esse mersio, id est *et Spiritus sancti*, sumit sibi lumen, scilicet eam, quae in summo crucis posita fuerat, candelam, quae prae ceteris Spiritus

1. abneget.... *om. a.* — 2. spetiosa, *a.* — 3. diacono, *a.* — 4. dicit, *a.* — 5. nos, *a.* — 6. fiunt, *a.*

sancti lumine corruscare videtur: nam duo alia luminaria candelarum, sicut etiam duae praecedentes cruces in lumine suo Patrem et Filium significare noscuntur, ut in symbolo de persona Filii habetur: Deum de Deo, lumen de lumine; haec autem superior candela Spiritus ille percipitur, de quo Iohannes testatur dicens: Quia vidi Spiritum descendentem de caelo, et manentem super eum; nam caelestis naturae fertur esse ignis, qui manet in superiori parte crucis, scilicet in superiori candela. Quia denique accenduntur duodecim luminaria, sicut iam dictum est, et Spiritus sancti lumine duodenarius accensus est numerus, quando supra singulos apostolorum in specie ignis Paraclitus apparuit. Duae etiam priores cruces simul progrediuntur, nullaque dilatione altera ad alteram ad subdiaconum veniunt; tertia vero neutrae illarum sociata, sola procedit; quia simul quamdam [1] coniunctionem habere videtur Pater et Filius: nam Pater a Filio non procedit, Filius autem a Patre genitus est, sed non procedens; sed Spiritus sanctus solus utrisque [2] procedit. De tribus autem candelis unam dumtaxat ad officium sumit, secundum illud: Solliciti servare unitatem spiritus. Una autem est super [3] extra duodecim lucerna, quae in columna accenditur; quia unus Deus, una fides, unum baptismum. Est autem minister [4] secundum ritum veteris [5] ministerii indutus, idest armaturam fidei, de qua Apostolus: Induite vos armaturam Dei, ut possitis resistere adversus insidias diaboli. Ergo si iste baptismi figuram, et non veritatem administrat, quomodo adversus insidias diaboli, quasi propugnaturus armatur? Sicut enim veri baptismi minister tali qualitate vestis pro armatura in sacri fontis benedictione ad adiurandum aquam utitur, ita et hic figurae administrator, non in actu sed in speculatione, huiusmodi armatura induitur: quapropter oculata clamide induitur [6], ad similitudinem caelestium animalium, quae plena oculis ante et retro

1. sibi quamdam simul, *a.* — 2. utrinque, *a.* — 3. una superest autem, *a.* — 4. minister iste, *a.* — 5. veste, *a.* — 6. vestitur, *a* (cf. *Beroldus*, ed. Magistretti, pp. 41 et 111).

in speculatione futurae vitae vidit Iohannes apostolus, ut in Apocalypsi legitur.

Sequitur post canticum Exodi canticum trium puerorum, in quibus praemittuntur singulae orationes; sed secreto dicuntur, apertissime vetus testamentum ostendentes quasi secretum et absconditum nondum etiam revelatum. Sed de priori prius dicamus: *Deus, qui populum tuum ex Aegypto tenebrarum, diris*[1] *operibus aggravatum, Moyse famulo tuo duce liberare dinatus es.* Omnia huius orationis verba veteris testamenti opere sunt plena, quae illam orationem vetusti temporis rememorat, quando orabat Moyses[2] dicens: Obsecro, Domine, mitte quem missurus es, mecum scilicet, ut educas populum tuum de Aegypto: et bene ante canticum de transitu maris haec oratio dicitur, quia prius Moyses hoc oravit, quam populum educeret. Sacerdos etiam dicens hanc orationem Moysi personam repraesentare videtur; loquitur enim cum Deo, dicens: *Deus, qui populum tuum,* etc.; sic enim loquebatur Dominus ad Moysen, facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum: orat autem sacerdos, ut a saeculi caligine eruamur, sicut oravit Moyses, ut populus ex Aegypto educeretur; sed secreto noster Moyses orat, ut similitudinem ipsius Moysis, qui impeditioris et tardioris esse linguae dicebat, non proferat sermonem. Idem etiam sacerdos eandem dicendo orationem, non propinquatur altari, sicut aliarum orationum recitator solet, sed in medio chori a longe stando orat; sicut enim Dominus ad Moysen ait: Non poteris videre faciem meam, sed ecce est locus apud me, stabis supra petram. Posterior oratio, quando iterum secreto dicitur, illam iterationem, quae in quadam oratione veteris testamenti [in libro Iudicum][3] commemoratur, significat; dicitur enim: Obsecro, Domine Deus, ut angelum, quem misisti, veniat iterum; sequitur: et doceat nos quod operemur in puerum qui nasciturus est[4]; de cuius pueri nativitate, psallentibus pueris in camino ignis, insonuit benedictio

1. *duris, a.* — 2. Moyses: *deest a.* — 3. *deest a.* — 4. est nobis, *a.*

Trinitatis; quae etiam oratio similiter veteris testamenti actus in verbis suis continet, ideoque secreto dicitur. Sed sicut prior oravit nos de caligine saeculi liberari, ita posterior orat eandem protegere animas nostras virtutem Domini, qui[1] protexit in fornace tres pueros; et est sensus superiori congruens sententiae, quae dixit: Angelus quem misisti veniat iterum; Angelus, qui eruit nos de tenebris infidelitatis per baptismum, quod in priori oratione significabatur, ut custodiat nos ne actuali peccato originalis peccati purificatio evacuetur: habetur autem in quadam huius officii oratione: *Petimus, Domine, ut sicut illos eripuisti de camino ignis ardentis, ita et nos eripias ab incendio peccatorum*; unde videtur utriusque testamenti tenorem servare. Quare, quasi in novo testamento, non iam secreto sed manifesto tandem aperit vocem, retegit mysterium; sed in eodem loco ubi exclamat, dicit: *una cum sancto Spiritu*: non enim vocem sublevat de infinita sententia, dicendo: *per Ihesum Christum Dominum nostrum,* quia nemo potest dicere Dominus Ihesus nisi in Spiritu sancto; sed in supradicto loco loquelam manifestat *una cum sancto Spiritu,* quia etiam in novo testamento datur unicuique manifestatio Spiritus ad utilitatem etc.; idem etiam Spiritus in novo testamento, scilicet in baptismo, regnum Dei operatur, ut illud: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei.

Post hanc exclamationem idem sacerdos salutat. In tota autem serie matutini non praemittitur *Dominus vobiscum,* nec etiam in capite huius orationis, quemadmodum in caeteris: hic vero post unitatem Spiritus sancti, orat sacerdos, ut Dominus sit cum populo, iuxta illud sui promissum: Quoniam inhabitabo in illis etc., quia operante Spiritu sancto, Verbum caro factum est, et habitavit in nobis: nobiscum etiam Dominus esse non poterit nisi Spiritus eius in nobis manserit, ut Apostolus ait: Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius; et post pauca sub-

1. quae, *a*.

iungit: Quod si Spiritus eius qui suscitavit Ihesum a mortuis habitat in vobis[1], qui suscitavit Ihesum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra[2] propter inhabitantem Spiritum eius in vobis[3]. Quod autem ea salutatio omnibus aliis orationibus frequenter praemittitur et postponitur, illud quod ipsa veritas promisit, secundum ineffabilem gratiam suam impletur, dicit enim: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Huic salutationi recte convenit sua responsio: *Et cum spiritu tuo,* subaudis, sit Dominus; ita enim respondetur, ut quodcumque sacerdos oraverit, se impetrare posse laetetur; nam si Dominus cum eo[4] fuerit, necesse est ipsum spiritum loquentem a sotio sibi Domino exaudiri.

Congruo autem loco post canticum Exodi ponitur[5] canticum trium puerorum, in quo testimonium Trinitatis in se[6] habuisse cognoscimus: debemus namque fidem[7], quam in baptismo confitemur, corde et opere inviolabiliter custodire; sed prius ad baptismatis fontem deducimur, quam fides Trinitatis in baptismo confiteatur; ac per hoc illud prius hoc posterius esse debere videtur. In quibusdam etiam diebus, scilicet in festivis et in sabbatis, haec cantica singilatim alterum sine altero canuntur in matutinis; sed in die dominico, in quo futurae vitae perfectio designatur, pro octonarii ratione numeri, uterque simul sibi iunguntur[8] in officio, nullius psalmi vel cantici interpositione, ut in horum etiam iunctura perfectio salutis humanae demonstretur, quae in baptismo et vera fide consistit; nam dicere Credo in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, et non baptizari, non est perfecta salus; baptizari etiam, et non In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, ad salutis perfectionem non attingit.

Sequitur oratio palam dicenda ante altare, quoniam vetera transierunt, et facta sunt omnia nova; iam enim sacerdos propinquus adhaeret altari, quia renati et in fide

1. nobis, *a.* — 2. nostra, *a.* — 3. nobis, *a.* — 4. spiritu eius, *a.* — 5. ponitur: *deest a.* — 6. eos in se, *a.* — 7. fidem quam: *om. a.* — 8. utrumque simul subiungitur, *a.*

Trinitatis consolidati, Deo propinquamur eiusque corpori communicamur. Post pauca denique in oratione subiungitur: *ut quos post hanc noctem lucem fecisti cernere,* idest, fugatis tenebris infidelitatis, *veram lucem quae Christus est* per fidem fecisti cognoscere; quamvis secundum litteram de praesenti tunc hora intelligatur, orat autem et dicit: *ad beatum illum ac sempiternum diem iubeas*[1] *pervenire,* idest, ut sacramento baptismatis renovati sempiternam beatitudinem consequantur, ubi lux perpetua lucet. Cum vero dicit *Per Dominum nostrum,* hac conclusione orationis aperte ostendit praecedentia verba ad personam Patris relata; rogamus itaque Patrem, sed in nomine Filii, sicut ipse Filius docet: Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis; hoc autem dixit ostendens se mediatorem Dei et hominum esse; ac per hoc fiunt orationes ad Patrem, sed per Filium expetuntur exaudiri.

At cum omnis populus respondet *Amen,* quasi exaudita oratione sacerdotis, omnes in laudem sui creatoris exhortantur et dicunt: *Laudate Dominum de caelis, laudate eum in excelsis.* Superscriptio autem huius orationis in plerisque codicibus ita adnotatur: *oratio in Laudate,* quasi ad sequentem psalmum pertineat; convenienter enim haec duo simul iunguntur, idest, orare et psallere[2] debemus; psallere enim dicimus laudare, ut illud: Bonum est confiteri Domino, et psallere; et item psalmus dicitur laus, ut illud: Laudate Dominum quam bonus est psalmus, Deo nostro iocunda sit laudatio. Sed post orationem psalmus iste ordinatur, quia si orantes exaudimur, exauditi dignas Deo laudes persolvamus[3].

Notandum etiam quod singulae antiphonae in singulis canticis vel psalmis in matutinis laudibus praeponuntur; quarum prima post antiphonam crucis iuxta altare per archidiaconum inchoatur; quo in loco dicens orationem secretam sacerdos, ut dictum est superius, Moysen impeditioris

1. *sempiternum facias, a.* — 2. exercere, *a.* 3. persolvimus, *a.*

et tardioris [1] linguae ostendit, cui Dominus: Aaron, inquit, frater tuus levites scio eloquens sit; ecce ipse egredietur in occursum tuum. Videtur ergo archidiaconus huius Aaron levites significare personam, nam eloquens est; quia nullo posito [2] secreto, statim profert verba, et exprimit vocem. Sunt etiam similiter hi conscii sicut et illi: nam supramemoratus presbyter maior est ceteris in ordine, et in eodem consistit chori pariete iuxta archidiaconem. Quod autem illud sit, quod prima post lectiones antiphona per ultimum diaconem inchoatur, haec autem secunda per summum annunciatur diaconem, considerare oportet. Sed ea quae secunda esse videtur in hac serie matutini, prima est post officium crucis: ergo quia post crucem, passione cassata, potentiorem se suis discipulis reddidit Christus resurgens a mortuis, recte per archidiaconem prima post crucem antiphona inchoatur, quia maioris potentiae esse videtur ceteris diaconibus; est enim archos quoddam nomen dignitatis, quod in latino sermone princeps sonat. Progrediens autem sursum, iuxta altare illud [3] exclamat; in quo ostenditur quia post crucem Dominus ascendit in caelum, ibi sedet ad dexteram Patris, ut in quodam hymno ascensionis canitur: *post sputa, post flagra, post crucem, paternae sedi iungitur.* Unde omnes post eam antiphonam ad eius similitudinem iuxta altare inchoantur, ad matutinum vel ad vesperum: primae autem post lectiones antiphonae incoeptor ad cornu altaris non progreditur; non enim ascenderat ad caelos dominator Dominus, propterea in officio diaconus eius ascensionem non demonstrat, velut illi Dominus dicat: Noli me tangere [4], nondum enim ascendi ad Patrem meum; noli me tangere, inquit, idest noli me tantum credere, adhuc tibi unum deest ad credendum, scilicet ascensio mea in caelum, in quo nondum ascendi: quod autem Mariae Magdalene dixit noli me tangere, hoc verbum, quod est tangere, ostendit Mariam

1. et tardioris: *deest a.* — 2. praeposito, *a.* — 3. illam, *a.* — 4. nondum.... tangere: *om. a.*

quodammodo velle amplecti vestigia eius, quam prohibet dicens: Noli, quia nondum ascendi ad Patrem. Quare in hoc loco non ascendit diaconus ad altare, nondum scilicet peracto officio crucis, ac per hoc ante ascensionem; altari enim approquinquare corpus Christi est tangere; sed retro conversus ad priorem locum, in quo recte[1] dictae antiphonae incoeptae fuerant, hanc antiphonam incipit; sic enim in supradicta[2] scriptura legitur: Haec cum dixisset Maria, conversa est retrorsum, sequitur: et vidit Ihesum, et nesciebat quia Ihesus est. Dicit autem ei Ihesus: Mulier, quid ploras? Non modo vocat eam ex nomine, sicut in sequentibus facit postquam illa magistrum commemorans recognovit, sed communi vocabulo eam appellat ex sexu dicens, mulier; mollioris enim et infirmioris sexus est nomen mulieris; et haec dubitans mollis erat in fide: huius rei gratia videtur per eum diaconum haec inchoari antiphona, quia inferiori loco haberetur, et minor in extremo ordine positionis locatur.

Sed ad superiorem psalmorum seriem redeamus: *Laudate Dominum de caelis*. In hoc loco quatuor psalmi sub una *Gloria* et una antiphona cantantur, in quibus continetur laus Dei, scilicet quae in aeterna vita celebrabitur, quam baptizati consequuntur. Quatuor sunt, quia quatuor sunt[3] ordines benedicentium Deum, quos psalmista enumerat, dicens: Domus Israel benedicite Domino; Domus Aaron benedicite Domino; Domus Levi benedicite Domino. Qui timetis Dominum benedicite Domino, qui cotidie ad aeternam vitam properant per activae vitae cursum, qui[4] quatuor temporum varietate distinguitur; has supradictas benedictiones ita explanat Augustinus in libro psalmorum: Benedicite populi Dominum, hoc est domus Israel; generaliter praepositi benedicite Dominum, hoc est domus Aaron; benedicite ministri Domini, hoc est domus Levi; qui de ceteris nationibus estis, benedicite Dominum, hoc est, omnes

1. recte: *deest a*. — 2. supramemorata, *a*. — 3. commemorat, *a*. — 4. quae, *a*.

qui timetis Dominum benedicite Domino. Omnis una voce dicamus, quod sequitur: Benedictus Dominus ex Syon qui habitat in Hierusalem; sed in hac communi voce ille ultimus versus designatur, quem capitellum [1] vocamus, quia [2] non tantum ab una parte chori sed communiter ab universis in choro decantatur in unum, post *Gloria Patri* subsequente antiphona. In primo psalmo ita habetur *hymnus omnibus sanctis eius Israel filiis,* in quibus verbis generaliter demonstratur domus Israel. Sequens psalmus habet *Exaltavit Dominus mansuetos in salutem. Exultabunt sancti in gloria,* per quos mansuetos in salutem intelliguntur praepositi, idest episcopi et presbyteri, qui exaltantur ad salutem subiectorum, ut faciant vindictam in nationibus, et faciant in eis iudicium; etenim velut reges quibus dicitur: Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta; nam signum regium habet in unctione regalis unguenti, per quos intelligitur domus Aaron, ut enim dicit Amalarius: Presbyteri in loco filiorum Aaron deputantur; scriptum est in libro Numerorum: Haec sunt [3] nomina filiorum Aaron, sacerdotum qui uncti sunt. Tertius psalmus habet *Laudate eum in cymbalis bene sonantidus, laudate eum in cymbalis iubilationis:* per instrumentum cymbalorum officium levitarum apertissime ostenditur, sicut scriptum est in libro Exdrae: Sacerdotes steterunt in ornatu suo cum tubis, et levitae filii Asaph in cymbalis, ut laudarent Dominum; unde Beda in tractatu Exdrae: Sacerdotes vero insonantes tubis [4], levitae autem in cymbalis benesonantibus, hymnos Deo concinentes. Quamvis hic psalmus mentionem faciat tubarum, magis tamen ad levitarum ordinem referri videtur propter cymbalorum duplicationem, per quos domus Levi intelligitur, sicut scriptum est in libro Numerorum: Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Applica tribum Levi, et fac altare in conspectu Aaron sacerdotis, et ministrent ei, et cetera. Quartus psalmus col-

1. capitulum, *a.* — 2. qui, *a.* — 3. Numero hoc est, *a.* — 4. personantes, *a.*

ligit omnes gentes et omnes absque differentia populos, ut laudarent Dominum: in quo ostenditur quartus ordo benedicentium Dominum, hoc est qui timetis Dominum; non enim dicit specialiter psalmista qui sint timentes Deum, sed universaliter colligit, dicens: *Qui timetis Dominum, benedicite Domino.* Timor Domini valde cavendus est, in eo quod dicit: *Quoniam confirmata est super nos misericordia eius, et veritas Domini manet in aeternum;* sicut alibi cum dicit: Tu, Domine, Deus misericor et miserator, longanimis et multum misericors et verax; misericors est, et misericordia eius super nos, cum dicit: Nolo mortem peccatoris; veritas eius manet in aeternum, et in aeternum manebit, quia dicit: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, non intrabitis in regnum caelorum. Horum psalmorum tres in fine psalterii posuit psalmista, nam et [1] Beda in homeliis commemorat septem psalmos composuisse ad laudem Domini in fine operis sui, et titulantur Alleluia, quod laus Domini dicitur [2]. Septenarius enim numerus requiem significat; quia post finem laborum dabunt electis requiem, in qua celebrabunt laudem Domini; propterea in hoc [3] loco matutini et [4] circa finem congrue aptantur. Quartus autem psalmus in libro psalmorum CXVI ponitur, de quo in vespertinali officio, si Dominus dederit, dicetur.

In supradictorum psalmorum decantatione, quae continere videntur laudatae futurae vitae, solent nostri adolere altare et chorum incenso; quod in speculatione eiusdem vitae vidit Iohannes evangelista stantem angelum super aram Dei habentem thuribulum aureum in manu sua, cui data sunt incensa multa, quae sunt orationes sanctorum, ut ascendat fumus aromatum de manu angeli eius in conspectu Dei; sed subdiaconus, qui de secretario adducit thuribulum cum aromatibus, significat mulieres quae paraverunt aromata, ut ungerent corpus Ihesu: porrigit autem illud dia-

1. ut, *a.* — 2. qui canticum est Domini, *a.* — 3. requiem.... hoc: *desunt a.* — 4. idest, *a.*

cono, qui incipit antiphonam in *Laudate,* et recedit, nam quod minor est diacono, diaconi officii attamen administrat; officium autem diaconi in hoc loco ordinem praedicatorum designat, nam thus et thimiama prunis superpositum corpus Christi pretiosissimum, patibulo crucis suspensum [1], succensum significat; odor fumi, ut Amalarius dicit, bonam opinionem de Christo exire demonstrat, quam qui vivere vult in suum contraicit, quam a praedicatoribus audit: superimponit autem primum altari diaconus thuribulum, demonstrans per quem sibi et ceteris propitiari possit Dominus, videlicet per Dominum nostrum Ihesum Christum, cuius corpus thimiama in thuribulo designat, de quo scriptum est in Exodo: Ut offerant in eo thimiama Domino, ne forte moriantur; unde mors trahenda [2] est, si quis ad ministerium altaris electus thimiama orationum Deo reddere neglegit; ideoque, absente pontifice, diaconus ad altare adolere consuevit, qui ad altaris officium eligitur.

Si pontifex adfuerit, memoratus subdiaconus [3] thuribulum adducit cum prunis tantum, super quas ponit pontifex aromata, ut suavis excitetur odor. Ignis enim est Spiritus sanctus; nam quemadmodum [4] Spiritus sanctus aperuit apostolis sensum ad cognoscendam veritatem Filii Dei, ex quo bonus odor procedit, ita ignis in thuribulo demonstrat nobis aromatum odorem ex fumo. Tunc adolet pontifex altare, et [5] scilicet inserviens, quod constituit eum fungi sacerdotio, et offerre illi incensum dignum in odorem suavitatis. Deinde porrigit supramemorato diacono, qui etiam est altaris minister, ut administret omnibus per circuitum chori bonum odorem.

Similiter alia officia quae ad sacerdotem pertinent praesens pontifex perficit, scilicet, incoeptionem nocturnalis officii, benedictiones lectionum, recitatio omnium orationum, et alia huiusmodi: tamen de loco stationis suae non mutatur, de quo alias dicetur.

1. suspensum: *deest a.* — 2. timenda, *a.* — 3. diaconus, *a.* — 4. namque in modum, *a.* — 4. et: *deest a.*

Nos tamen ordinem teneamus, idest si pontifex defuerit. Post haec omnia presbyter ante altare incipit psalmum, praecedente salutatione, quem directum nuncupamus, et sine antiphona canimus. Idcirco etiam directus appellatur, quia neque secundum antiphonam tonus [1] modulatur, neque versiculatim choris alternantibus canitur, sed cursim, simulque in unum ab omnibus usque in finem cum *Gloria* sanctae Trinitatis, ut a vulgo non possit discerni finis cuiusque versus, vel distinctio eius. Videtur itaque per hunc psalmum significari hymnus ille caelestis, qui sine fine cantatur, de quo Iohannes in Apocalypsi sua dicit: Quatuor animalia requiem non habent dicentia sedenti super thronum, Sanctus, et reliqua [2].

1. totum *(sic)*, *a.* — 2. cetera, *a.*

EXCERPTA
EX RITUALI SACRAMENTORUM SAEC. XIII
OLIM ECCL. S. LAURENTIOLI MEDIOLANI
COD. METROP. **m**

INCIPIT ORDO AD CATECUMINUM FACIENDUM.

Benedic oleum dicendo sic: Deus in adiutorium.... Gloria Patri....: All. *Oratio vel benedictio olei.* Exorcizo te creatura olei.... [1] saeculum per ignem. Amen.

[*Primo benedicetur sal: deinde cum portatus fuerit infans ad ianuas ecclesiae, tunc sacerdos praeparatus cum compatribus vadat, et baptizet infantem.*] *(sic)* [2]

Hic incipit exorcismus salis. Deus in adiutorium.... Gloria. *et* Sicut. All. *Benedictio salis.* Exorcizo te, creatura salis.... saeculum per ignem. Amen.

[*Tunc infante portato ante fores ecclesiae, primum dicat sacerdos* ℣ Quis]. *Tunc infans ante fores ecclesiae primum interrogatur dicendo sic:*

Quis illum offert. ℟ Nos (ego). *Int.* Quid vultis fieri. ℟ Christianus. *Int.* Meretur a parentibus suis. ℟ Meretur. *Int.* Abrenuntiat diabolo et operibus suis. ℟ Abrenuntiat. *Int.* Saeculo et pompis eius. ℟ Abrenuntiat.

[*Hic incipit offitium quando prius est baptizatus ad domum, vlt.* Memor, etc.].

Interroga et contesta eum sic: Memor esto.... ℟ Memor ero.

[*Hoc dicto quando prius est baptizatus linitur oleo ut infra. Require gloxam quae incipit: Tunc accipe oleum; et serva*

1. Omissa require in *R* (Vol. III, pp. 466, ss.), fere semper cum variantibus lectionibus cod. M. — 2. Rubricae ma. saec. XIV, quae extant in marg., et add. 2 ma., suis locis ponuntur inclusae signis [ ].

illud modum qui notatur ipsa gloxa]. *Deinde tange nares et aures de sputo dicendo sic:* Epheta.... Amen. [*item Epheta tangendo aures*].

Hic exsuffla in faciem eius in modum crucis. Exsufflo te, immundissime spiritus.... iudicium Dei.

Tunc accipe oleum benedictum [*idest catechismum*] *et line eum cum pollice inter scapulas et in pectore dicendo sic:* Ego te lineo.... aeternam. Amen.

[*Post cathechismum contrahitur compaternitas, qui tantum impedit matrimonium contrahendum, sed non dirimit contractum.*]

Oratio cum Dnus vobiscum. Aeternam ac iustissimam.... ut dignus efficiatur accedere ad gratiam baptismi [*dicitur, quando est baptizatus in domo:* ut dignus ad gratiam baptismi tui se accessisse gaudeat] teneat.... gratiam tuam. Per Dnum.

Item exsuffla in faciem eius, ut supra. ✠ Exorcizo te, omnis immundissime spiritus, ✠ in nomine.... iudicare [vivos et mortuos et] saeculum per ignem. Amen.

Hic interroga de nomine eius, et voca ex nomine sic Talis, Accipe signum sanctae crucis, ✠ serva.... iudicare [vivos et mortuos et] saeculum per ignem. Amen.

Dnus vobiscum. (Oratio.) Deus, cui ad initiandum.... perveniat. Per eundem.

Hic pone salem in os ipsius infantis vocans nomen. Accipe sal sapientiae.... aeternam. Amen.

Oratio. Dnus vobiscum. Deus patrum nostrorum.... perduc eum ad novae regenerationis lavacrum, ut [ut qui perductus est ad novae regenerationis lavacrum] cum fidelibus tuis.... mereatur. Per Dnum.

Exorcismus sci Ambrosii. Dnus vobiscum. Omnipotens Deus, Verbum... securus aggrediar.

Adiuro te.... iudicare [vivos et mortuos et] saeculum per ignem. Amen.

Hic debet sacerdos in ecclesiam intrare dicens haec verba: Ingredere.... scientiae. [Gloria Patri, *et* Sicut].

Oratio communis ad omnia. [*Hic infans est ponendus in*

terra, et sacerdos debet dicere cum illis qui tenent puerum, Pater noster, *et* Credo in Deum, *etc.*]. *Sequitur.* Pater noster, qui es in caelis. Et ne nos inducas in tentationem. *Al.* Sed libera nos a malo. *Sequitur.* Credo in Deum Patrem. Carnis resurrectionem. *Al.* Vitam aeternam. Amen.

Cap. Ego dixi (1). ℟ Sana animam meam.

Cap. Convertere Dne. ℟ Et deprecabilis esto.

Cap. Ostende nobis Dne. ℟ Et salutare tuum.

Cap. Dnus virtutum. ℟ Susceptor noster.

Cap. Dne exaudi orationem. ℟ Et clamor noster.

Cap. Exurge Christe. ℟ Et libera nos. *Seq.*

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, respice.... gratiam pervenire mereatur. Per Dom. [gratiam pervenisse gaudeat. Per Christum Dnum. *Deinde debet dicere* Dne miserere *videlicet* Letanias].

Alia orat. Exaudi, Dne, supplicationem.... et in die sanctae.... percipere mereatur. Per Christum.

Infra ecclesiam oratio super competentem. Omnipotens sempiterne Deus, adesto magnae pietatis.... impleatur effectu. Per Dnum [℣ Dnus vobiscum].

Hic incipimus (sic) *exorcismus aquae dicendo sic.* [Deus in adiutorium meum, etc. Pater noster. Et ne nos. Adiutorium nostrum in nomine, etc. Credo in. Carnis resurrectionem. Ego dixi Dne. Sana animam. *Et* Dominus vob. Et cum].

Exsufflo te, immundissime spiritus, ✠ in nomine Dni nostri Ihesu Christi. Amen.

Alius exorcismus. Exorcizo te creatura aquae, ✠ in nomine Dei Patris.... iudicare [vivos et mortuos et] saeculum per ignem. Amen.

Deinde accipe chrisma fundens illud in modum crucis dicendo sic: [Sit fons iste sacer ✠, signatus, sanctificatus, et perunctus.] ✠ In nomine Patris, ✠ et Filii, ✠ et Spiritus ut *(sic)* fons iste sanctificatus et benedictus. Amen.

(1) Etiam in cod. **m** hi ℣℣ et ℟℟ dantur compendiose.

Interroga [*nomen eius*] *dicendo.* [*Petre*] Quid petis[tis]. ℟ Baptizari.

Inter. Credis[tis] in Deum Patrem omnipotentem creatorem caeli et terrae? ℟ Credo.

It. int. Et in Ihesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum, natum et passum? ℟ Credo.

Int. Credis[tis] et in Spiritum sanctum, et sanctam ecclesiam catholicam sanctorum [communionem], remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam aeternam, amen? ℟ Credo.

Prima mersio [*Hic non dicitur nomen.* Ego] Baptizo te in nomine Patris; *secunda mersio,* et Filii; *tertia,* et Spiritus sancti. [Si baptizatus es non rebaptizo te. — Si non es baptizatus ego te baptizo]. *Preces Letan.*

Dne miser. *ter.*	S. Luca	S. Mauriti	S. Ambrosi
(℣) Christe lib.	S. Stephane	S. Christoph.	Omnes Sancti
(℟) Salvator lib.	. . . . .	S. Victor	(℣) Exaudi Chr.
S. Maria	S. Gervasi	S. Nabor	(℟) Voces nostr.
. . . . .	S. Alexander	S. Felix	(℣) Exau. Deus
S. Andrea	[S. Laurenti	S. Tegla	(℟) Et mis. III.
S. Marce	S. Vincenti]	S. Pellagia	Kyr. kyr. kyr.

[*Hic etiam invita (?) compatres et commatres ut surgant supra*].

Tunc fatiat sacerdos cum pollice crucem de chrismate in vertice, dicendo hanc orationem: Deus omnipotens Pater.... qui dedit tibi [vobis].... ✠ Ipse te linit.... nostro in vitam aeternam amen.

[*His finitis, fac tibi dare aquam a commatre vel ab alio, et lava caput ubi posuisti chrisma.... sequitur postea oratio*].

Oratio quando levatus est de aqua. Omnipotens aeterne Deus, qui regenerasti.... in veritatem. Per Dominum.

[Dnus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Kyr. Benedicat et exaudiat nos Deus. Amen. Procedamus cum pace. Benedicamus Dno. Deo gratias.

Et finito offitio.... dicat tunc sacerdos (℣) Dnus vobiscum. (℟) Et cum spiritu tuo. Initium sancti Evangelii secundum

Iohannem. Gloria tibi Dne. In principio erat Verbum, etc. *Et dicatur totum*].

Tunc communica eum. Corpus Dni nostri Ihesu Christi, sanguine suo tinctum, conservet animam suam *(sic)* in vitam aeternam. Amen.

INCIPIT BENEDICTIO OLEI.

Deus in adiutorium. *Benedictio olei.* Dne sancte, gloriose, aeterne, omnipotens Deus, precamur supplices sublimem clementiam tuam, ut hanc creaturam olei ✠ benedicere ✠ sanctificare digneris, ut mittere iubeas Spiritum tuum paraclitum, qui replevit orbem terrarum, super hanc pinguedinem, quam de viridi ligno fluere praecepisti: ut si quis ex eo unctus fuerit, vel gustaverit, sit ei animae atque corporis firmamentum. Depellat valitudines malas, diaboli temptamenta discutiat, invalescentes estus febrium et causam universi doloris avertat; ut fidem sanctitatis vigore concepto *(sic)*, referat Deo Patri omnipotenti gratias sempiternas. Per Dnum.

Alia oratio. Deus, humani generis creator, qui depulsis cunctis doloribus.... (1) virtute. Et quotiescumque.... languentia foveat, adtactumque *(sic)* hominibus inferat mentis et corporis sanitatem. Per Dom.

HIC INCIPIT MANUS IMPOSITIO.

Ille sacerdos qui prior est dicat hanc benedictionem. Propitius sit nobis omnipotens et misericors Dnus, et benedicat nos. Amen. ✠ .

Pax huic domui. Amen. [*In primis debet dici* Pax etc.]

Dnus vobiscum. *(Oratio)* Deus, qui benedixisti vestigia apostolorum.... (2) ingressum nostrum, atque omnes habitantes in ea. Expelle.... gaudio et laetitia, et fac abundare omnibus

(1) Omissa v. supra, pag. 78, ubi variantes lectiones cod. **m**.
(2) Ut supra, pag. 91.

bonis, et de tua largitate hic semper abundet, et Angelus Dni semper eam custodiat. Per.

[*Seq.* Pax et benedictio Dei Patris omnipotentis, et Filii, et Spiritus sancti, descendat super nos et super domum istam et super habitantes in ea. Amen. Propitius sit].

Oratio sacerdotis. In adiutorium nostrum sit omnipotens et misericors Dnus, qui fecit caelum et terram. Amen.

Incipit psalmos hic (sic).

Deus in adiutorium meum intende. (℟) Dne, ad adiuvandum me festina. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen. All.

Ant. Infirmus sum. *Ps. David.* Dne ne in ira tua.... (2)

Ant. communis. [*Omnes sacerdotes tangunt infirmum dicendo*] Infirmorum propitiator, abiectorum protector, desperandorum salvator, Deus patris mei, et Deus haereditatis Israel, dominator caelorum et terrae, creator aquarum, rex totius creaturae, exaudi preces nostras.

Kyr. kyr. kyr.	S. Apollinaris	S. Georgi	S. Romane
Dne, miser. *ter*	S. Blasi	S. Theodore	S. Babila
Christe, libera nos. *ter*	S. Nazari	S. Erasme	S. Petre
	S. Celse	S. Faustine	S. Firme
[℟ Salvator, libera nos]. *ter*	S. Protasi	. . . .	S. Rustice
	S. Gervasi	S. Candide	S. Tegla
S. Maria [intercede pro eo vel ea.]	S. Victor	S. Vitalis	S. Pelagia
	S. Nabor	S. Cosma	S. Agnes
	S. Felix	S. Damiane	. . . . .
. . . . . (2)	S. Fortunate	S. Sebastiane	S. Euphemia
S. Stephane	S. Sysinni	S. Solutor	S. Lucia
S. Line	S. Martyri	S. Tranquilline	S. Iustina
S. Clete	S. Alexander	S. Marce	. . . .
S. Clemens	S. Nicomedis	S. Marcelliane	S. Iuliana
S. Syste	S. Quirine	S. Domnine	S. Columba

(1) In cod. **m** septem psalmi poenitentiales per extensum, cum singulis antiphonis (ut supra, p. 80) in fine cuiusque psalmi.

(2) Omissa, v. supra p. 80 et seq.

S. Radecunda	S. Nicolae	S. Gregori
S. Mona	S. Simpliciane	S. Augustine
S. Castritiane	S. Dati	S. Satyre
S. Kalimere	S. Patrici	S. Antoni
S. Materne	S. Senator	S. Galdine
S. Eustorgi	. . . .	S. Ambrosi
S. Dionisi	S. Arsati	Omnes sancti Angeli, int. pro n.
S. Eugeni	S. Syre	. . . .
S. Magne	S. Iventi	Omnes sancti Discipuli Dni, int.
S. Vigili	. . . .	. . . .
S. Geronti	S. Ylari	Omnes Sancti et Sancte Dei, int.
S. Benigne	S. Nicholae	Exaudi Christe: Voces nostr. *ter*
S. Benedicte	S. Martine	Exaudi Deus: Et miserer. n. *ter*
S. Silvester	S. Iuli	Kyrie, kyrie, kyrie.

Orat. secreta. Pater noster. *Al.* Credo in Deum Patrem.

Deinde sacerdos qui prior est ponat manum super infirmum dicendo hoc capitulum (sic).

Salvum fac servum tuum. (℟) Deus meus sperantem in te.

Mitte ei, Dne, auxilium de sancto. (℟) Et de Syon tuere eum.

Nihil proficiet inimicus in eo. (℟) Et filius iniquitatis non adiicet nocere ei.

Esto ei, Dne, turris fortitudinis. (℟) A facie inimici et persequentis.

Dne, exaudi orationem nostram. (℟) Et clamor noster ad te perveniat.

Exurge, Christe, adiuva nos. (℟) Et libera nos propter nomen tuum.

Sequitur oratio [*omnes sacerdotes dicunt istam orationem ponendo manus super infirmum*]. Sanctum ac venerabile nomen (1).... caeleste. Per Dom.

Primum ungue eum in pectore, postea manus, deinde pedes, de oleo benedicto (2), *haec verba dicendo:* Ungeo te oleo

(1) Omissa v. sup. p. 81, ubi variantes lectiones cod. **m**.
(2) 1. ma. *chrisma*.

sanctificato, ut more militis unctus et praeparatus ad luctam aerias possis superare catervas. Operare creatura olei. ✠ In nomine Patris omnipotentis, ✠ et Filii, ✠ et Spiritus sancti: ut non lateat hic spiritus immundus, nec in membris, nec in medullis, nec in ulla compagine membrorum huius hominis [foeminae]; sed operetur in eo virtus Christi Filii Altissimi, qui cum aeterno Deo Patre vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus sancti per omnia saecula saeculorum. (℟) Amen.

[*Quando tu unxisti in pectore, dic:* Quidquid peccasti per cogitationem cordis parcat tibi Deus. *Deinde quando unxisti in manibus, dic:* Quidquid peccasti per operationem manuum tuarum parcat tibi Deus. *Tertio quando unxisti in pedibus, dic:* Quidquid peccasti per ingressum *(sic)* pedum parcat tibi Deus].

Alia oratio. Dominus vobis [*Omnes sacerdotes dicunt simul istam orationem*] Deus angelorum etc. (1)

Alia oratio [Dnus vobiscum]. Inclina, Dne, venerabiles aures tuas ad preces nostras, et concede pro tua pietate huic famulo tuo in lecto iacenti salutem tam corporis quam animae suae competentem: praesta illi, omnipotens Deus, indulgentiam omnium iniquitatum suarum, propter immensam misericordiam tuam, per intercessionem omnium Sanctorum tuorum; ut propter hoc quod sustinet flagellum, a sanctis Angelis tuis susceptus pervenire mereatur ad tuae gloriae regnum. Per.

Alia oratio. Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo *ill.* et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis et pacis: ut te donante tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat. Per.

Al. orat. Deus, qui famulo tuo tuae fidei etc.

Al. orat. Omnip. semp. D, salus aet. etc.

Al. orat. Respice, Dne famulum tuum, etc.

Al. orat. Deus infirmitatis humanae singulare praesi-

(1) Oratio haec et seqq. ut supra p. 97.

dium, auxilii tui super infirmum famulum tuum *ill.* ostende virtutem: ut ope misericordiae tuae adiutus, salutiferam regni caelestis illi tribuas medicinam; et ecclesiae tuae sanctae repraesentari mereatur. Per.

Al. orat. Exaudi nos, omnipotens et misericors Deus, et visitationem, etc.

Al. orat. Omnipotens sempiterne Deus, qui facturae tuae pio semper dominaris affectu, inclina aurem tuam supplicationibus nostris, et famulum tuum ex adversa valetudine corporali laborantem placatus respice: et visita eum in salutari tuo, et caelestis gratiae praesta medicinam. Per.

Al. orat. Famulum tuum, quaes. Dne, etc.

[(℣) Dnus vobiscum. (℟) Et cum spiritu tuo. Kyr. k. k. (℣) Benedicat et exaudiat nos Deus. (℟) Amen. (℣) Procedamus cum pace. (℟) In nomine Christi. (℣) Benedicamus Dno. (℟) Deo gratias. — Pax et benedictio Dei Patris omnipotentis, et Filii, et Spiritus sancti descendat super animam et corpus tuum. Amen].

Tunc confessio (sic) *faciat.*

Confiteor Deo et omnibus Sanctis et tibi sacerdoti, quia peccavi nimis in cogitatione, in locutione, in opera, et omissione: et ideo deprecor te, Pater et Dei sacerdos, ut ores ad Deum pro me misero peccatore.

Oratio. Misereatur tibi omnipotens Deus, et dimittat tibi omnia peccata tua, praeterita, praesentia, et futura; liberet te Deus ab omni opere malo; conservet et confirmet per gratiam suam in omni opere bono, et perducat animam tuam in vitam aeternam. Amen. Indulgentiam et remissionem et absolutionem omnium peccatorum tuorum, et spatium verae poenitentiae, et cor poenitens, et gratiam sancti Spiritus conferat tibi pius et misericors Dnus, qui fecit caelum et terram; et benedicat te. Amen.

Absolutionem (sic) *oratio.*

In quacumque die vel hora mors te praeoccupaverit, absolutus sis, ✠ a Patre, ✠ et Filio, ✠ et Spiritu sancto, et a beata Dei genitrice Maria, et a beato Iohanne Baptista

qui dixit: Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum; et a beato Petro principe Apostolorum, qui tenet claves regni caelorum, cui dedit Dnus potestatem ligandi atque solvendi: ipse te absolvat, et liberet te ab omni vinculo peccatorum tuorum. Qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Alia oratio. Benedicat te Deus Pater ✠, qui in principio cuncta creavit. ✠ Benedicat te Filius Dei, qui de superna sede pro nobis descendit. ✠ Benedicat te Spiritus sanctus, qui in spetie columbae super Iordanem flumen requievit. Ipse te in unitate et trinitate perfecta sanctificet, quem omnes gentes expectant iudicem venturum. Cui est honor et gloria et potestas in saecula saeculorum. Amen.

✠ Benedictio Dei Patris omnipotentis, ✠ et Filii, ✠ et Spiritus sancti descendat super animam et corpus tuum. Amen.

Communica eum et dic: Corpus Dni nostri Ihesu Christi, sanguine suo tinctum conservet animam tuam in vitam aeternam. Amen.

Oratio post communionem. Dnus vobiscum. Dne sancte, Pater omnipotens (1).... deprecamur, accipiente fratre *(sic)* nostro.... salus. Per Christum.

Alia oratio. Deus, qui facturae tuae semper dominaris affectu, inclina aurem supplicationibus nostris, et famulum tuum *ill.* adversa valitudine corporis laborantem placatus respice: et visita eum in salutari tuo, et caelestis gratiae ei praesta medicinam. Per Dominum (2).

Kyr. kyr. kyr. (℣) Benedicat et exaudiat nos Deus. (℟) Amen. (℣) Procedamus cum pace. (℟) In nomine Christi. (℣) Benedicamus Dno. (℟) Deo gratias.

(1) Ut supra, p. 99.

(2) *Supple:* ℣ Dnus vobiscum. ℟ Et cum spiritu tuo.

QUANDO ANIMA EGREDITUR DE CORPORE.

Commendatio animae.

Vale in Christo, (1).... et tecum habitare concedas in domibus caelestibus. Amen.

Alia oratio. Misericordiam tuam (2).... manifestatae contemplationis tuae perpetua societur. Per Christum.

Item post egressionem animae.

Oratio. Pio recordationis affectu (3).... et abstergat. Quod ipse praestare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto.

Alia oratio. Suscipe, Dne, animam servi[ae] tui[ae] de Aegypti exitu proficiscentem ad te: et mitte Angelos tuos sanctos obviam ei, et vias iustitiae demonstra ei: et aperi ei portas iustitiae, et repelle ab ea principes tenebrarum. Agnosce, Dne, creaturam tuam, non ex diis alienis creatam, sed a te solo Deo vivo et vero; quia non est alius Deus praeter te, Dne, et non est secundum opera tua. Laetifica, Dne, animam servi tui: ne memineris pristinae iniquitatis et ebrietatis, quae suscitavit fervorem mali desiderii: licet enim peccavit, Patrem et Filium et Spiritum sanctum tamen non negavit, sed credidit, et zelum Dei habuit, et Deum qui fecit omnia adoravit, qui venturus est iudicare saeculum per ignem. Amen.

Alia oratio. Deus cui omnia vivunt (4).... ablue indulgendo. Per Christum.

Alia oratio. Suscipe, Dne, animam servi[ae] tui[ae] revertentem ad te; caelesti eam indue veste, et lava eam sancto fonte vitae aeternae: ut inter gaudentes gaudeat, et inter sapientes sapiat, et inter Apostolos Christum sequi studeat, et inter Angelos et Archangelos claritatem Dei videat, et inter lavantes stolas suas in fonte luminis vestem

(1) Omnia ut supra, p. 83 et 84, ubi variantes cod. **m**.
(2) v. supra p. 99.
(3) v. supra p. 85.
(4) v. supra p. 85.

lavet, et inter pulsantes pulset; ut portas apertas caelestis Ierusalem aperiat *(sic)*. Per Christum.

HIC INCIPIT OFFICIUM MORTUORUM.

AD DOMUM ILLORUM.

℟ Accepimus bona de manu Dni [1]. ℣ Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi.

Oratio prima. (℣) Dnus vobiscum. Quaesumus, Dne, famulo[ae] tuo[ae], cuius diem primum obitus sui commemoramus, Sanctorum tuorum largire consortium: et rorem misericordiae tuae perennis infunde. Per Christum.

[Requiem aeternam dona ei, Dne. (℟) Et lux perpetua luceat eis. (℣) Anima istius, etc.].

Ant. dupla. Tu iussisti nasci me. ℣ Iussione tua venio, sanctissime. *Psalm. (53)* Deus in nomine tuo.

Oratio. (℣) Dnus vobiscum. Absolve, Dne, animam famuli[ae] tui[ae] ab omni vinculo delictorum: ut in resurrectionis gloria, inter Sanctos tuos resuscitatus[a] respiret. Per Christum.

℟ Requiem aeternam. ℣ Et lux perpetua.

PSALLENTIUM, QUANDO PORTATUR AD ECCLESIAM.

Exaltabo te, Dne, quoniam. II. De terra creasti me. III. Dextera tua, Dne, suscepit me. IIII. Cum Christus apporuerit. V. Dne, Dne, quando. VI. Dne, mitte angelum.

(IN ECCLESIA).

Sequitur Evangelium secundum Mattheum: et si esset parvus infra septem annis, non dicatur Evangelium, sed etc. (sic). Prima die azymorum [2]..... Et egressus foras flevit amare.

℟ Remitte mihi. ℣ Ad te, Dne, levavi.

℟ Non timebis anima. ℣ Dnus custodiat te.

(1) In compendium, et sic deinceps.

(2) Matth. XXVI, 17-75: Textus est ille Vulgatae sed cum variantibus lectionibus seqq.: — 24. vadet. — 26. est enim. — 39. mi Pater. 40. dixit. — 41. promptus, caro. — 45. ait. — 54. ergo, *2 ma.* — 55. apud vos eram in templo docens. — 56. implerentur. — 57. quo scribae. — 58. intus.... finem rei. — 63. Dei vivi. — 64. *om.* Dei. — 72. novit.

Ant. dupla. Exter factus sum fratribus meis, quia iussisti. ℣ Vocasti me, Deus; ecce venio: suscipe me.

Matthaeus. Mane autem facto, consilium inierunt[1].... et mater filiorum Zebedei.

Ant. duplex. Redemptor meur vivit. ℣ Renovabuntur denuo ossa mea.

Ant. duplex. Credo quod Dnus non me derelinquet. ℟ Sed miserebitur mei redemptor.

Ant. dupla. Tu creasti me, Christe. ℣ Parce, Deus; parce, fortis.

℟ Remitte mihi. ℣ Ad te, Dne.

Al. ℟ Desiderium meum, Omnipotens, audi. ℣ Deus, in adiutorium meum intende.

Sequitur oratio. Obsecramus misericordiam tuam[2].... et electis tuis eum resuscitari iubeas. Per Dom.

Si sacerdos vel diaconus: ℟ Caligaverunt oculi mei. ℣ O vos omnes qui transitis. *Si laicus.:* ℟ Relaxentur vincula. ℣ Usquequaque lava me.

Evangelium. In illo tempore. Dixit Ihesus discipulis suis: omne quod dat mihi Pater[3].... Et ego resuscitabo eum in novissimo die.

Al. ℟. Qui suscitasti Lazarum. ℣ Requiem aeternam. *Laicis.* ℟ In manus tuas. ℣ In te, Dne.

Preces (sic) *mortuorum.*

Dne miser. III.	S. Gabriel	S. Andrea	S. Luca
Christe, libera nos. III	S. Raphael.	S. Iacobe	S. Stephane
	S. Iohannes	S. Iohannes	S. Nazari
S. Maria	S. Petre	S. Barnaba	S. Celse
S. Michael	S. Paule	S. Marce	S. Protasi

(1) Matth. XXVI, 1-56: Textus Vulgatae, cum seqq. varietatibus: 2 *om.* eum. — 8. vocatus ager. — 11. Dicit ei. — 15. dimittere populo. — 19. misit ad illum. — 23. clamabant: Crucifige. — 24. huius iusti. — 29. *om.* ei. — 31. crucifigeretur. — 32. Cyreneum venientem obviam sibi. — 35. *om.* ut impleretur.... sortem. — 40. destruit templum, et in.... reaedificat. — 44. imperabant ei moventes capita sua. — 26. *om.* et circa horam nonam. — 52. resurrexerunt. — 55. *om.* ibi, *et* multae.

(2) V. sup., p. 90.

(3) Ibid.

S. Gervasi	S. Sebastiane	S. Materne	S. Magne
S. Laurenti	S. Petre	S. Simpliciane	S. Eustorgi
S. Vincenti	S. Tegla	S. Dionisi	S. Galdine
S. Georgi	S. Pelagia	S. Syre	S. Ambrosi
S. Kalimere	S. Veronica	S. Zeno	Omnes Sancti
S. Mauriti	S. Margarita	S. Basiane	Exaudi Christ.
S. Christophore	S. Agnes	S. Castritiane	Exaudi Deus
S. Alexander	S. Agatha	S. Eugeni	Kyr. kyr. kyr.

PSALLENTIUM QUANDO PORTATUR AD SEPULCRUM.

Usque in vita mea.... regione vivorum [et salva me]. *Al.* Memorare.... videbit mortem. *Al.* Adhaesit pavimento[1]. *Al.* Portio mea in terra. *Al.* Vide, Dne, humilitatem. *Al.* Tu iussisti me, Dne, nasci. *Al.* Credo quod Dnus non me derelinquet. *Al.* Tu creasti me, Christe. *Al.* Etenim pauci fuerunt dies. *Al.* Tu es, Dne, protector. *Al.* In paradisum deducant te angeli. *Al.* Suscipiat te Christus qui vocavit.

℟ *(sic)* Haec requies mea in saeculum saeculi: hic habitabo, quoniam praeelegi eam.

Ant. Dnus mortificat, et vivificat; deducit ad inferos, et reducit.

Ant. Dnus custodiat te.

Psalm. (120) totus. Levavi oculos meos etc. [2].

I. Dnus regit me, et nihil mihi deerit: in loco pascuae ibi me collocavit.

II. Dni est terra et plenitudo eius: orbis terrarum et universi qui habitant in eo.

III. Ad te, Dne, levavi animam meam: Deus meus, in te confido, non erubescam.

IIII. In te, Dne, speravi, non confundar in aeternum: In tua iustitia libera me, et eripe me.

V. *(sic)* Beati quorum remissae sunt iniquitates: et quorum tecta sunt peccata.

(1) In compendium, et sic deinceps; v. sup. p. 87 et seq.
(2) Per exteñsum; cf. vol. III, p. 485.

VI. Gaudete, iusti, in Dno: rectos decet collaudatio.

VII. Beatus qui intelligit super egenum et pauperem: in die mala liberavit eum Dnus.

VIII. Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te, Deus.

IX. Miserere mei, Deus: secundum magnam misericordiam tuam.

X. Et secundum multitudinem miserationum tuarum: dele iniquitatem meam.

XI. Auditui meo dabis gaudium et laetitiam: et exultabunt ossa humiliata.

XII. Averte faciem tuam a peccatis meis: et omnes iniquitates meas dele.

XIII. Deus, in nomine tuo salvum me fac: et in virtute tua libera me.

XIIII. Miserere mei, Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea.

XV. Deus misereatur nobis, et benedicat nos: illuminet vultum suum super nos, et misereatur nobis.

XVI. Deus, in adiutorium meum intende: Dne, ad adiuvandum me festina.

XVII. Deus, in te speravi; Dne, non confundar in aeternum.

XVIII. In tua iustitia libera me: et eripe me.

XIX. Inclina, Dne, aurem tuam, et exaudi me: quoniam egenus et pauper sum ego.

XX. Custodi animam meam, quoniam sanctus es: salvum fac servum tuum, Deus meus sperantem in te.

XXI. Dne, exaudi orationem meam: et clamor meus ad te perveniat.

XXII. De profundis clamavi ad te, Dne: Dne, exaudi vocem meam.

XXIII. Eripe me, Dne, ab homine malo: et a viro iniquo libera me.

XXIIII. Dne, clamavi ad te, exaudi me: intende voci orationis meae, dum clamavero ad te.

XXV. Aperite mihi portas iustitiae: et ingressus in ea confitebor Dno.

XXVI. Haec porta Dni iusti *(sic)*: et ingredientur per eam.

XXVII. In pace in idipsum: obdormiam et requiescam.

XXVII. Fiat, Dne, misericordia tua super nos: sicut speravimus in te.

XXVIII. Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet: et ego resuscitabo eum in novissimo die.

XIX. Dnus custodiat te ab omni malo: custodiat animam tuam Dnus.

(℣) Dnus vobiscum. *(Oratio)* Tibi, Dne, commendamus etc. (1).... absterge. Per Dominum.

[℟ Requiem aeternam dona.]

Alia oratio. Oremus, fratres charissimi, pro spiritu (2).... fatias. Praestante Dno Ihesu Christo qui vivit.

Alia oratio. Deus, qui iustis supplicationibus semper praesto es, qui pia vota dignaris intueri: da famulo tuo *ill.*, cuius depositionis hodie officia humanitatis exhibemus, cum Sanctis atque fidelibus tuis beati muneris portionem. Per.

Alia oratio. Debitum humani corporis sepeliendi officium (3).... aggregari iubeat, cum quibus inennarrabili gloria, et perhenni felicitate perfrui mereatur. Praestante Dno nostro.

Alia oratio. Temeritatis quidem est, Dne (4).... in parte dextera coronandus (*sic*). Per.

Post haec per extensum ponitur *Ordo mortuorum* ad Matutinum cum Laudibus, ut in cod. nostro *R*, *(cf. vol. III, p. 487 et seqq.)* cum nonnullis orationibus *(ut sup. p. 106 et seqq.)* pro diversitate officii recitandis; deinde additur seq. Ordo pro officiis cadavere non praesente, qui aliquantulum differt ab illo cod. *M* *(v. supra p. 110)*.

(1) v. sup. p. 93. (2) v. sup. p. 92. (3) Ibid. (4) v. sup. p. 93.

(ABSOLUTIO AD TUMULUM).

Usque in vita [1].... II. Memorare.... III. Adhaesit pavimento.... IIII. Portio mea.... V. Vide Dne.... VI. Tu iussisti.... VII. Iussione tua.... VIII. Credo quod.... VIIII. Sed miserebitur.... X. Etenim pauci.... XI. In paradisum deducant te angeli: et cum gaudio suscipiant te omnes sancti *(sic)* Dei. XII. Tu es, Dne, protector meus: in manus tuas *(sic)* commendo spiritum meum. XIII. Redemptor meus.... XIIII. Renovabuntur denuo.... *Psalmus David. (50)* Miserere mei, Deus, secundum magnam.

Oratio pro septimo. Adesto, Dne, quaes., pro anima famuli tui, cuius in die depositionis suae VII, vel XXX, officium commemorationis impendimus: ut si qua ei secularis macula inhaesit, aut vitium mundiale infecit, dono tuae pietatis indulgeas et extergas *(sic)*.

℟ Qui suscitasti.... ℣ Requiem aeternam....

Dne miserere	S. Felix	S. Brigida	S. Silvester
Christe lib. nos	S. Fortunate	S. Candida	S. Gregori
Salvator lib. nos	S. Theodore	S. Daria	S. Augustine
S. Maria	S. Faustine	S. Caecilia	S. Remigi
. . . . [2]	S. Iovita	S. Scolastica	S. Simpliciane
S. Stephane	S. Quirice	S. Radecunda	S. Ieronime
S. Clemens	S. Vite	S. Petronilla	S. Martine
S. Siste	S. Pantalem.	S. Marcelina	S. Ylari
S. Laurenti	S. Sisinni	S. Lucia	S. Eusebi
S. Vincenti	S. Martyri	S. Susanna	S. Satire
S. Georgi	S. Alexander	S. Margarita	S. Benedicte
S. Nazari	S. Tegla	S. Maria Mag.	S. Ambrosi
S. Celse	S. Pelagia	S. Materne	Omnes Sancti
S. Protasi	S. Agnes	S. Eustorgi	Exaudi Ch. *ter*
S. Gervasi	S. Agatha	S. Magne	Exaudi D. *ter*
S. Victor	S. Euphimia	S. Aureli	Kyr. kyr. kyr.
S. Nabor	S. Valeria	S. Dionisi	

(1) Per extensum: omiss. v. supra.

(2) Ut supra, p. 80 et seq.; sed deest invocatio *s. Matthaee,* om. ex oscitantia amanuensis.

Oratio pro septimo. Omnip. semp. Deus, collocare dignare animam et spiritum famuli tui *ill.*, cuius diem VII, vel XXX, celebramus in sinibus Abrahae, Isaac et Iacob: ut cum dies agnitionis tuae venerit, inter sanctos et electos tuos eum resuscitari praecipias. Per.

Oratio pro anniversario. Praesta, Dne: ut animam famuli tui *ill.*, cuius anniversarium commemoratus *(sic)*, ab angelis lucis susceptam in praeparata habitacula deduci facias beatorum. Per.

Cap. Requiem aeternam dona ei, Dne; et lux perpetua luceat ei. ℣ Anima istius, et animae omnium fidelium defunctorum *(sic)* requiescant in pace. (℟) Amen.

> Seq. *Vesperae defunctorum* per extensum, ut in cod. nostro *R* (*l. c.*) cum nonnullis orationibus pro diversitate officii, et seq. rubrica « *Alias orationes require ad Matutinum* »: deinde al. ma. add.:

AD AQUAM SANCTAM FACIENDAM

QUAM DEBETIS PONERE IN NAVELLO.

Omnia ut in *R* (vol. III, p. 463 et seq.), usque ad orat. *Deus qui ad salutem,* etc. inclus., postquam haec sequuntur, quae concordant in parte cum cod. *M,* praesertim in additionibus 2 ma.

Hic pone salem in aqua. Commixtio salis et aquae. ✠ In nomine Patris, ✠ et Filii, ✠ et Spiritus sancti. Amen. [*In secunda positione*]. Benedico te, sal et aqua. ✠ In nomine P., ✠ et F., ✠ et Sp. s. Amen. [*In tertia positione*]. Confirmo te, sal et aqua. ✠ In nom. P., ✠ et F., ✠ et Sp. s. Amen. *(Psall.)* Vox Dni super aquas, Deus maiestatis intonuit: Dnus super aquas multas. Gloria Patri. Sicut erat. Vox Dni super aquas. [Kyr. kyr. kyr. Pater noster. Et ne nos inducas in temptationem. Sed libera nos a malo. Amen. Adiutorium etc. Credo in Deum etc. Ego dixi etc.].

[(℣) Dnus vobiscum. *(Orat.)* Deus invictae virtutis(1).... adesse dignetur. Per.

(1) Ut in *R*, vol. III, p. 465.

[Praesta, Dne, tuum salutare remedium super hanc creaturam salis et aquae: ut ubicumque interserint, ad animae et corporis profitiant sanitatem] (1).

Oratio secreta. Pater noster.

Cap. Adiutorium nostrum. ℣ Qui fecit caelum.

Oratio. Credo in Deum.

Oratio. Praesta, quaes. (2).... saeculorum. Amen.

Cap. Dnus vobiscum. ℟ Et cum spiritu tuo. Kyrie. *ter.*

[*Benedictio post (?) aquam sanctam.*

✠ Ipse te benedicat, qui in principio cuncta creavit.

✠ Ipse te benedicat, qui super te pedibus ambulavit.

✠ Ipse te benedicat, qui in Chana Galileae convertit in vinum.

✠ Benedictio Dei Patris omnipotentis, ✠ et Filii, ✠ et Spiritus sancti ✠ descendat super hanc commixtionem salis et aquae. Amen.]

BENEDICTIO INCENSI.

Dne, Deus omnipotens, cui adstat (3).... antiqui serpentis. Per.

In tertio fragmento (fol. 104' et seq.) prostant, cum notis musicis, decem et octo ℟℟ pro defunctis, ex libro Iob: « *Accepimus bona,* etc. » ordine ipso, quo digesti sunt in cod. ambr. T 96 (v. sup. p. 89), sed ℟ *Remitte mihi* praemittitur ℟ *Relaxentur:* deinde succedunt, per extensum, reliqui cantus in agenda defunctorum, hoc ordine:

(IN AGENDA MORTUORUM)

PSALLENTIUM AD DOMUM ILLORUM.

I. Exaltabo te.... II. De terra creasti.... III. Dextera tua.... IIII. Cum Christus.... V. Dne, Dne, quando.... VI. Dne, mitte....

(1) Ut in *M*; cf. vol. III, p. 465 in nota.
(2) Ibid.
(3) Ut in *R*; cf. vol. III, p. 498.

℟ (1) Redemptor meus vivit, et in novissimo me renovabit. ℣ Renovabuntur denuo ossa mea, et in carne mea videbo Dnum Deum. *Ps.* (*50*) Miserere mei Deus.

Ant. dupl. Tu iussisti nasci me, Dne; repromisisti ut resurgerem. ℣ Iussione tua venio, sanctissime: ne derelinquas me, quia pius es. *Psalm.* (*53*) Deus in nomine.

Ant. dupl. Tu creasti me, Christe: iussione tua venio, sancte. ℣ Parce, Deus; parce, fortis: libera me de manu mortis. *Psalm.* (*85*) Inclina, Dne, aurem.

Ant. duplex ad sacerdos (*sic*). Exter factus sum fratribus meis, quia iussisti. (℣) Vocasti me, Deus; ecce venio: suscipe me. *Psalm.* (*68*) Salva me, quoniam introierunt.

Psallentium quando corpus exiit de ecclesia.

Usque in vita.... II. Memorare.... III. Adhaesit pavimento.... IIII. Portio mea.... V. Vide, Dne.... VI. Tu iussisti (2). VII. Credo quod Dnus. VIII. Etenim pauci.... IX. Tu es Dne.... X. In paradisum.... XI. Suscipiat te.... XII. Haec requies mea. XIII. Dnus mortificat et vivificat.

(Cantus ad Missam).

Ingressa. Requiem aeternam dona eis, Dne: et lux perpetua luceat eis. ℣ Te decet hymnus, Deus, in Syon: et tibi reddetur votum in Hierusalem. Exaudi orationem meam, Dne: ad te omnis caro veniet. *Iterum.* Requiem.

Cant. (3) Occurrerunt Maria et Martha ad Ihesum dicentes: Dne, si fuisses *(sic)*, Lazarus non esset mortuus: respondens (*sic*) Ihesus: Martha, si credideris, videbis gloriam Dei. ℣ Videns Ihesus turbam flentem, infremuit spiritu: lacrymatus, et veniens ad locum clamavit voce magna: Lazare, veni foras; et revixit qui erat mortuus, et vidit gloriam Dei.

Sive off. ℟ (*sic*). De profundis clamavi ad te, Dne:

(1) lege: *Ant. dupla.*
(2) In compendium.
(3) Est *psalmellus* post Lectionem.

Dne, exaudi orationem meam. ℣ Quia apud te propitiatio est, et propter legem tuam sustinui te, Dne: Dne, exaudi. *Cantus (post Epistolam).* Dne, exaudi orationem nostram. *Ant. post Evang.* Requiem sanctam dona eis, Dne; et lux misericordiae luceat eis. *Offert.* Tu Deus, qui resuscitasti quatriduanum Lazarum, tu dona eis requiem, et locum indulgentiae. *Confr.* Audivi vocem de caelo dicentem: Beati mortui, qui in Dno moriuntur. *Trans.* (*sic*) Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem. Agnus Dei. *Transitorium.* Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet: et omnis qui credit (*sic*) in me, non morietur in aeternum: dicit Dnus ».

BENEDICTIO BURDONUM ET CAPSELARUM PEREGRINORUM.

Dne Ihesu Christe, mundi redemptor, qui beatis Apostolis tuis praecepisti, ut euntes in praedicationem, virgas tantum sumerent, te supplici devotione poscimus: ut digneris has capselas et hos ✠ benedicere fustes; quatenus ii, qui illos in signum peregrinationis, ut suorum corporum sustentationem, sunt recepturi, tuae caelestis gratiae recipiant plenitudinem, et in eis munimen tuae beneditionis percipere possint: ut quemadmodum virgam Aaron in templo Dni florentem ad rebellium iudaeorum perfidiam rebellandum (*sic*) benedixisti; ita et nos signaculo servorum beati Petri et Pauli adornatos ab omnibus peccatis absolvas: quo in die iuditii ab impiis separati, in dextera sint parte coronati. Per Dominum.

Quando datur burdo et capsela. Accipe hanc capsellam et hunc fustem, et perge ad limina Apostolorum: in nomine P. et F. et Sp. s.: ut per intercessionem beatae Dei Genitricis Mariae et omnium Apostolorum, atque omnium Sanctorum mereamini *(sic)* in hoc saeculo accipere remissionem omnium peccatorum, et futurum consortium beatorum.

Oratio pro peregrinis. Omnipotens sempiterne Deus, hu-

mani generis reformator et auctor, qui Abrabae puero tuo, ut iret de terra nativitatis suae, et veniret in terram repromissionis, quam ei daturam *(sic)* promiseras, praecepisti; necnon et populum tuum israeliticum in desertum te adorandum multis prodigiis venire fecisti: hos, quaesumus, ad beatorum Apostorum *ill.* et *ill.* limina te adorare pergentes, a periculis omnibus exuas, et a peccatorum nexibus salves: et tu, qui es vera via in te fidentibus, eorum iter bene dispone, ut inter omnes huius saeculi perturbationes, tuo protegantur auxilio. Per.

Mitte eis, Dne, Angelum tuum, quem Tobiae famulo tuo comitem dedisti: ut ubicumque manserint, sit illis defensor contra insidias omnium inimicorum visibilium et invisibilium; quatenus facti incolumes, ad nos iterum redire valeant. Per.

[ALIAE BENEDICTIONES].

Benedictio agni in pascha.

Deus universae carnis, qui Noe (1).... et caelesti gratia [tua] repleantur. Per.

Benedictio panis.

Dne sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, ✠ benedicere digneris hunc panem tua sancta et spirituali benedictione: ut sit omnibus salus mentis et corporis, atque contra omnes morbos et universas inimicorum insidias tutamen. Per Dnum nostrum I. C. Filium tuum, panem vitae, qui de caelo descendit, et dat vitam et salutem mundo. Qui tecum vivit.

Benedictio incensi.

Dne Deus omnip. cui adstat (2).... effugiant et separentur a plasmate tuo.... serpentis antiqui. Per.

Benedictio Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti, descendat super istam creaturam incensi.

(1) Ut in *R*; cf. vol. III, p. 216.
(2) Ibid., p. 498.

Benedictio ad capillos.

Dne et salvator [1].... qui venientibus [ad te] etc..... perveniat. Qui vivis.

Ad fruges novos.

Dne sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui caelum et terram, mare et omnia creasti, te supplices quaesumus: ut hunc fructum novum ✠ benedicere, ✠ et sanctificare digneris, et multiplicare abundanter offerentibus tibi; et repleas eorum cellaria cum fortitudine frumenti et vini: ut laetantes in eis referant tibi laudes et gratias.

Benedictio putei ubi aliquid ceciderit.

Dne sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui per invisibilitatis tuae potentiam has aquas ex nihilo conditas, huius marie (*sic*) formam visibilem praeparasti, atque abditis investigabilibus cum cava [2] per abyssi magnitudinem largitatis gratiam humanis usibus fluenta fontibus infudisti, te tui famuli supplices exoramus: ut has aquas, quas neglegentia polluit, sancti Spiritus tui gratia ad munditiam revocet atque purificet, et spiritus callidi hostis abscedat; ac deinceps sanctificatas familiae tuae potabiles tribuas, ut et potantium mundent corpora, cordaque sanctificent. Per.

Benedictio putei novi.

Dne Deus omnipotens, qui huius putei altitudinem per crepitudinem fistularum, aquarum copiam manare iussisti, praesta, quaesumus: ut, te iubente atque ✠ benedicente, per nostrae officium functionis, repulsis fantasmaticis calliditatibus atque insidiis diabolicis, purificatus atque emundatus hic puteus semper perseveret. Per.

Item benedictio. Deprecamus, Dne, clementiam pietatis tuae: ut aquam putei huius caelesti benedictione ✠ sancti-

(1) Ibid., p. 497.
(2) investigalibus etc. *locus corruptus*.

fices, et ad comutationem (*sic*) vitam concedas salubrem, et ita ex eo fugare digneris omnem diabolicae temptationis incursum; ut quicumque ex eo abhinc hauserit, vel biberit, vel in quibuslibet necessariis usibus hausta aqua usus fuerit, totius virtutis ac sanitatis dulcedine repleatur: ut tibi semper sanctificatori et salvatori omnium Deo gratias agere mereatur. Per.

Ad omnia quae volueris benedicere.

Benedic, Dne, creaturam istam; ut sit remedium salutare generi humano: et praesta per invocationem nominis, ut quicumque ex ea sumpserit, corporis sanitatem et animae tutelam perficiat. Per.

Benedictio in domo.

Omnipotens sempiterne Deus, cuius sapientia hominem docuit, ut domus haec careret aliquando frigore a vicinitate ignis; ita nunc, quaesumus, ut omnes habitantes vel convenientes in ea careant infidelitatis frigore a fervore Spiritus sancti.

Ad consecrandum patenam.

Consecramus hanc patenam ad confitiendum in ea corpus Dni nostri Ihesu Christi patientis crucem pro salute nostra omnium. Qui cum Patre.

Fatiendum signum crucis de oleo sancto super eam, et dicendum hanc.

Oratio. Consecrare et sanctificare digneris, Dne, patenam istam per hanc unctionem et nostram benedictionem in Christo Ihesu Dno nostro. Qui.

Ad calicem benedicendum.

Oremus, dilectissimi fratres, ut Dnus Deus noster calicem suum (*sic*) in ministerio consecrandum, caelestis gratiae inspiratione sanctificet, ad humanam benedictionem plenitudinem (*sic*) divini favoris. Per.

Dignare, Dne, istum (*sic*) in usum misterii (*sic*) tui pia famuli tui devotione formatum, ea sanctificatione perfundere,

qua Melchisedec famuli tui sacratum calicem perfudisti: et quod arte vel metallo effici non potest, altaribus tuis digne fiat tua benedictione pretiosum. Per.

AD SINDONEM BENEDICENDUM.

Omnipotens Deus, Trinitas inseparabilis, manibus nostris opem tuae benedictionis infunde; ut per nostram benedictionem hanc sindonem *(sic)* sanctificetur, et corporis Christi novum sepulcrum Spiritus sancti gratia perficiatur. Per.

CONFESSIO.

Confiteor tibi, Dne, rex caeli et terrae, quia peccavi in lege tua, in cogitationibus, in verbis, in factis, et multa sunt peccata mea, et negligens sum de opere Dei et de ordine meo; quia peccavi de vana gloria, de superbia, de detractione, de fornicatione, de furto, de falso testimonio, de periurio, de adulterio, de opere Dei quod ego negligenter egi, de concupiscentia carnali, de risu, de auditu, de visu, de gula, de crapula, de ebrietate, vel de omnibus malis meis, quae ego negligenter commisi: veniam inde, Dne, peto, quia culpabilem me recognosco.

AD ORANDUM CRUCEM (*sic*).

Domine Ihesu Christe, gloriosissime conditor mundi, quoniam cum sis splendor gloriae et coaequalis Patri sanctoque Spiritui carnem immaculatam. P. (*sic*).

BENEDICTIO IGNIS IN SABBATO SANCTO (1).

Domine Deus noster, Pater omnipotens, exaudi nos, lumen indeficiens: quia tu es, Sancte, conditor omnium luminum. ✠ Benedic, Dne, hoc lumen, quod a te sanctificatum *(sic)* atque benedictum; tu illuminasti omnem mundum,

(1) A add. al. ma.; cf. vol. III, p. 199.

ut ab eo lumine accendamur. An ad (*sic*) illuminemur igne claritatis tuae; sicut igne illuminasti Moysen, ita illuminare digneris corda et sensus nostros, ut ad vitam aeternam pervenire mereamur. Per.

Benedictio panis.

Benedic, quaesumus, Dne, creaturam istam panis, sicut ✠ benedixisti quinque panes in deserto: Dne, eiusdem in annum (*sic*) alimentum: gustantesque ex eo accipiant tam corporis quam animae sanitatem. Per.

Absolutio plenissima (1).

Ex virtute concessionis auctoritatis (*sic*) summi pontificis confisus de miseratione nostri Redemptoris, Absolvo te plenissime quantum se extendunt claves ecclesiae: in ✠ nomine Patris, et ✠ Filii, et ✠ Spiritus sancti. Amen.

(1) In fol. ult. add. al. ma.

INFRASCRIPTUS MODUS EST SERVANDUS QUANDO PUER EST BAPTIZATUS. (a)

Aliis omissis, incipiatur: Memor [1] esto sermonum tuorum, ut a te unquam abscedant. ℟ Memor ero [2]. *Deinde unge eum oleo* [3], *prius inter scapulas, postea in pectore* [4], *et dic:* Ego te lineo oleo salutis in Christo Iesu Dno nostro, in vitam aeternam.

(℣) Dominus vobiscum.

[*Orat.*] Aeternam ac iustissimam pietatem tuam deprecor, Dne sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus luminis [5] et veritatis [6] super hunc famulum tuum [7]: ut digneris eum illuminare lumine intelligentiae tuae. Munda eum, et sanctifica [8]; da ei scientiam veram, ut digne [9] ad gratiam baptismi tui se accessisse gaudeat, teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam [10] sanctam; ut aptus sit ad percipiendam gratiam tuam. Per Dnum [11] *(sic)*. Et haec plasma Dei, quam Dnus noster Iesus Christus ad templum suum vocare dignatus est, sit templum Dei vivi, et Spiritus sanctus habitet in eo. ✠ In nomine Dei Patris

1. *Sacerdos existens foribus ecclesiae primo interroget nomen infantis*: Memor etc. *r.* — 2. *rr'' add.*: *Deinde tange nares et aures infantis de sputo dicendo sic:* Epheta, quod est, adaperire, in odorem suavitatis in Christo Iesu Dno nostro. ℟ Amen. — 3. oleo catechumenorum. *rr''*. — 4. *primo in pectore, deinde inter scapulas. rr''*. — 5. auctor luminis, *rr''*. — 6. veritatis tuae, *r.* — 7. tuum ill. *rr''*. — 8. ✠ sanctifica, *rr''*. — 9. *rr'' om.* digne. — 10. et doctrinam, *r'*. — 11. Per Dom. n. I. C. F. t., qui venturus est in Spiritu s. iudicare saeculum per ignem. ℟ Amen. *r'*.

(*a*) In antiquissima *Ambrosiani Ritualis Sacramentorum* editione (quae fortasse est prima) sine anno et sine nomine editoris (cuius exemplar nunc in Bibl. Capit. Metropolitani Mediolani servatur) a fol. 65.v ad finem, hic Ordo, cum nonnullis varietatibus infra notandis cum sigla *r*, invenitur sub hac rubrica: « *Hanc regulam servandam pro infantibus ex qualicumque necessitate baptizatis in domo ordinavit venerabilis ecclesiae maioris mediolanensis ordinarius* (nempe canonicus primi ordinis) *ac totius cleri primicerius et iuris utriusque bachalarius Dominus Mattheus de Carchano* ». Quantum coniicere licet ex notis in opere *Annali della Fabbrica del Duomo di Milano* (Milano, 1877-1885) Matheus ille ab anno 1394 ad an. 1427 functus est officio Primicerii, et aliquando fuit Vicarius Archiepiscopi, et, sede vacante, Vicarius Capitularis factus est. Idem Ordo supplendi caeremonias super puerum baptizatum extat in alia editione *Ritualis* (quam secundam puto) Mediolani edita probabiliter typis *Antonii Zarotti parmensis*, sed sine nota anni; cuius tria exemplaria extant in eadem bibliotheca: variantes lectiones huius editionis in notis indicat sigla *r'*. In Ordine baptismi ex eodem cod. metrop. **m** supra edito (v. p. 143 seqq.) inscriptae sunt nonnullae rubricae 2 ma., quando supplentur omissa super baptizatum.

omnipotentis, ✠ et in nomine Iesu Christi Filii eius, qui venturus est in Spiritu sancto, iudicare saeculum per ignem [1]. Amen.

Hic impone ei nomen, et signa dicendo [2]: ✠ Accipe signum sanctae crucis: serva praecepta divina: verbo Dei renatus es, et caelesti lumine formatus ✠ [3]. Ingredere templum Dei vivi; et sublato errore tenebrarum, te evasisse [4] laqueos mortis laetus agnosce. Nunc ergo promissa caelestia et adventum Dei omnipotentis expecta: ut possis sperare venturum Verbum genitum, virginali partu editum, credentibus annuntiatum; in cuius invocatione inluminabis [5], ✠ cuiusque signaculo in fronte signabis [6], ✠ per hoc signum, quod nunquam designabitur. ✠ In nomine Dei Patris omnipotentis, ✠ In [7] nomine Iesu Christi Filii eius, qui venturus in Spiritu sancto iudicare saeculum per ignem [8].

Oratio. Deus, cui ad initiandum nulla pravitas [9] non idonea est, qui omnem aetatem omnemque sexum ad maiestatis tuae cultum dignanter admittis, tibi haec novi hominis exordia et [10] rudis vitae dicatam exhibemus [11] infantiam. Da, ut hunc ignarum mali parvulum Unigeniti tui signo ✠ sanctae Crucis teneatur [12] *(sic)* inscriptio: tuus sit, tibi adolescat, te timeat [13], te creatorem suum semper agnoscat, et ad sanctum lavacrum regenerationis, te..... pervenisse [14] gaudeat. Per eundem [15] Dnum nostrum Iesum Christum, qui venturus est in Spiritu sancto iudicare saeculum per ignem [16].

Deinde accipe sal benedictum, et pone in ore infantis, et dic: Accipe sal sapientiae: propitiatum sit tibi in vitam aeternam. (℟) Amen.

Cap. Dominus vobiscum. ℟ Et cum spiritu tuo.

Oratio. Deus patrum nostrorum, Deus conditor veritatis, te supplices exoramus: ut super hunc famulum tuum *ill.* [17] respicere digneris propicius, ut hoc [18] pabulum salis gustantem, non diutius eum esurire permittas, quominus cibo repleatur caelesti; quatenus sit semper, Domine, spiritu fervens, spe gaudens, tuo semper nomini serviens: ut qui productus est ad novae regenerationis lavacrum, cum fidelibus tuis promissionum tuarum aeterna praemia consequi mereatur. Per Dnum [19]. [*Sequitur.* Omnipotens Dne, Verbum Dei Patris, Christe Iesu etc.] [20].

1. Et haec plasma.... ignem: *om. rr'*. — 2. Hic debet recapitulari nomen infantis dicendo cum signo sanctae crucis, *rr'*. — 3. ✠ *deest rr''*. — 4. evasisse te, *rr'*. — 5. illuminaris, *rr''*. — 6. signaris, *rr'*. — 7. Et in, *rr''*. — 8. *rr'' add.*: ℟ Amen. ℣ Dnus vobiscum. — 9. parvitas, *rr'*. — 10. *rr' om.* et. — 11. dicamus, *rr'*. — 12. tueatur. *rr'*. — 13. *rr' add.*: te diligat. — 14. *(fol. umore consumptum)*: te deducente semper venisse, *rr'*. — 15. *rr' om.* eundem. — 16. *rr' add.*: ℟ Amen.
17. *ill.*: deest *rr'*. — 18. hoc primum, *r*; primum, *r'*. — 19. *rr' add.*: « I. C. F. t., qui venturus est in Sp. s. iudicare saeculum per ignem. ℟ Amen. — 20. [*Sequitur*.... Iesu *etc.*]: *suppl. 2 ma. in marg.; rr' om.; sed ma. dub. in marg.* r *scripsit:* « Hic legitur Exorcismus sancti Ambrosii ».

Post haec inter[1] *ecclesiam dicendo:* Ingredere, fili, in domum Dei: audi patrem tuum docentem te viam scientiae[2]: *Tunc statim mittendus est infans in terra, et Sacerdos dicere debet cum illis qui tenent puerum orationem istam: Cap.* Pater noster, etc. *Cap.* Et ne nos inducas in temptationem. ℟ Sed libera nos a malo. Amen. *Cap.* Adiutorium nostrum in nomine Dni. ℟ Qui fecit caelum et terram. *Seq.* Credo in Deum, etc. *Cap.* Carnis resurrectionem. ℟ Vitam aeternam. Amen. *Cap.* Ego dixi: Dne, miserere mei. ℟ Sana animam meam, quia peccavi tibi. *Cap.* Convertere, Dne, aliquantulum. ℟ Et deprecabilis esto super servos tuos. *Cap.* Ostende nobis, Dne, misericordiam tuam. ℟ Et salutare tuum da nobis. *Cap.* Dnus virtutum nobiscum. ℟ Susceptor noster Deus Iacob. *Cap.* Dne, exaudi orationem meam[3]. Et clamor meus[4] ad te perveniat. *Cap.* Exurge, Christe, adiuva nos. ℟ Et libera nos propter nomen tuum. *Cap.* Dominus vobiscum. ℟ Et cum.

Oratio[5]. Omnipotens sempiterne Deus, respice de celsa[6] sede maiestatis tuae super hunc famulum tuum competentem *(sic)*, qui ad tuam cucurrit ecclesiam: concede ei, Dne, ut sub protectione manus tuae ad sacri baptismatis gratiam se[7] pervenisse gaudeat. Per Dnum[8]. [℣] Benedicat etc. [℣] Procedamus etc. [℣] Benedicamus Dno. [℟] Deo gratias etc.[9] *Sequuntur letaniae:* Dne miserere etc. *(sic)*.

Postea accipe chrisma et pone in celebro, in modum crucis, et dic istam orationem:

Deus[10] omnipotens, Pater[11] Dni nostri Iesu Christi, qui te regeneravit ex aqua et Spiritu sancto, quique dedit tibi[12] remissionem omnium peccatorum[13], ipse ✠ te linit ✠ chrismate salutis ✠ in Christo Iesu Dno nostro, in vitam aeternam[14].

[℣] Dominus vobiscum. *Oratio.* Omnipotens aeterne[15] Deus, qui regenerasti famulum tuum[16] ex aqua et Spiritu sancto, quique dedisti ei remissionem omnium peccatorum, tribue ei continuam sanitatem ad cognoscendam divinitatis tuae veritatem[17]. Per Dnum[18]. [℣] Benedicat, etc.

1. intrat, *rr'*. — 2. *rr' add.*: ℣ Gloria Patri. ℣ Sicut. *Iter.* Ingredere, fili. — 3. nostram, *rr'*. — 4. noster, *rr'*. — 5. *Oratio.* Omnipotens,etc.: *usque ad finem al. ma.* — 6. excelsa, *rr'*. — 7. se: *deest rr'*. — 8. *rr' add.*: ℣ Dnus vobiscum. ℟ Et cum spiritu tuo. K. k. k. — 9. *rr' add.*: *Quibus peractis a sacerdote, infans recomittitur parentibus vel compatribus loco parentum.* — 10. *rr' post litanias add.:* ℣ Dnus vobiscum. — 11. Pater omnip., *rr'*. — 12. *r om.* tibi. — 13. *rr' add.:* tuorum, *pone chrisma in cerebrum infantis et dic:* (omissa rubr. praeced.). — 14. *rr' add.*: ℟ Amen. — 15. sempiterne, *rr'*. — 16. tuum *ill.*, *r*. — 17. virtutem, *r*. — 18. *rr' add.*: « ℣ Dnus vobiscum. ℟ Et cum spiritu tuo. K. k. k. ℣ Benedicat.... ℟ Amen. ℣ Procedamus.... ℟ In nomine.... ℣ Benedicamus Dno. ℟ Deo gratias. *Sequitur:* Accipe vestem candidam in signum restitutionis et innocentiae in vitam aeternam. Amen. *Sequitur Evangelium secundum Iohannem, ad altare:* In principio erat Verbum, et Verbum erat apud, etc. ».

EXCERPTA
EX MANUALI AMBROSIANO SAEC. FERE XI
OLIM ECCLESIAE CISNUSCULI
(*Cod. ambr.* I 55 SUP.)

INCIPIT OFFICIUM PARVUM B. MARIAE. (1)

[AD MATUT.] Deus in adiutorium meum. *Hymn.* Mysterium ecclesiae, *usque* Vere gratia. ℟ *post hymn.* Beata et venerabilis (2). ℣ Caeli terraeque. *Seq.* Laudabilis. ℣ (3) Benedictus es Domine Deus. *Ant. I.* Ave Maria. *Psalm.* (4) Confirmatum est. II. Beatus ille venter. *Psalm.* (5) Pleni panibus. III. Magnificamus te. *Psalm.* (6) Dans votum. *Seq.* Iube domne benedicere. *Bened.* Qui natus est de Virgine purget nos ab omni crimine. Amen.

Lect. I. Dei Genitrix, quae Archangeli gaudium suscepisti, et Deum in utero portasti sanctum, quem videre ut est, non praesumunt angeli, cherubin et seraphin multis luminibus incessabili eum voce glorificant, quem tu portasti, ipsum deprecare, donare nobis magnam misericordiam deprecamur. Tu autem.

Ad lect. ℟. Beata et venerabilis Virgo quibus. ℣ Benedicta tu inter mulieres.

Lect. II. Non despexisti multum misericors in tribulatione clamantes ad te per Genitricem tuam; sed nunc advenisti ad salvandum populum tuum, rex ad captivos, me-

(1) Idem officium, ad instar Romani officii parvi compositum, anno 1440 Archiepiscopus Pizzolpassus ab universo clero recitari praecepit. Ab antiquo stylo ambrosiano, ut patet ex veteribus *Manualibus*, prorsus absona sunt, licet serius (saec. XVI) in Breviario praescripta, *suffragia Sanctorum* et *commemorationes* quae ad Horas leguntur; et ideo in hac editione caracteribus minutioribus edita sunt. (2) Compendiose etiam in cod. *V*, qui remittit ad *Manuale.* (3) Cant. Trium puer. (4) Cant. Annae. (5) Ex eodem cantico. (6) Ex eodem cantico.

dicus ad infirmos, pastor ad errantes, vita desperatis; ideoque clamamus ad te: reple de gaudio animas nostras, et miserere nobis.

℟ Sancta Dei Genitrix. ℣ Deprecare pro nobis.

Lectio III. Sapientia vincit malitiam; attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. Tu autem.

[AD LAUDES]. *In Benedictus.* In flore mater. *Oratio* (*secreta*) Deus qui tribus pueris. *In Benedicite.* Dignus es Domine Deus.

Oratio. Deus qui salutis aeternae, beatae Mariae virginitate foecunda, humano generi praemia praestitisti, tribue, quaesumus: ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitae suscipere. Per.

In Laudate. Laudabilis Virgo. *Capit.* Pulchra facie, pulchrior fide: beata es Virgo.

Psalm. (*86*) *directus.* Fundamenta eius. *Seq.* Gloria in excelsis Deo (1). *Hymnus* (2). Vere gratia plena es.

Psallenda. Sub tuam misericordiam confugimus. ℣ Gloria Patri. *Alia.* Sub tuam protectionem confugimus, ubi infirmi. *Compl.* Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam.

Orat. Porrige nobis, Deus, dexteram tuam: et per intercessionem beatae et gloriosae semperque virginis Dei genitricis Mariae, auxilium nobis supernae virtutis impende. Per Christum.

Fer. II. Ant. I in psalm.: alia omnia require supra. Ave Maria. *Psalm.* (*8*) Domine Deus noster. *Ant. II.* Beatus ille venter. *Psalm.* (*18*) Caeli enarrant. *III.* Magnificamus te. *Psalm.* (*23*) Domini est terra.

Fer. III. Ant. I in psalm.: require omnia supra. Propter veritatem. *Psalm.* (*44*) Eructavit cor. *II.* Beata progenies. *Psalm.* (*45*) Deus noster refugium. *III.* Ego autem sicut oliva. *Psalm.* (*53*) Deus in nomine tuo.

Fer. IIII. Ant. I in psalm.: alia omnia require supra.

(1) Laus Angelor. maior. (2) Reliq. hymni *Mysterium ecclesiae.*

Ortus conclusus. *Psalm.* (95) Cantate Domino canticum novum: cantate Domino omnis. *II.* Revertere, revertere. *Psalm.* (96). Dominus regnavit, exultet. *III.* Exaltata est sancta Dei. *Psalm.* (97) Cantate Domino canticum novum: quia.

Fer. V, require omnia in II. — Feria VI, require omnia quae supra in III. — Sabbato, require omnia quae supra in quarta.

Orationes et alia quae dicenda sunt ad suffragia Sanctorum.

Ant. Libera nos, salva nos, iustifica nos, o beata Trinitas. *Cap.* Benedicamus Patrem et Filium, et sanctum Spiritum: ℣ Hymnum dicamus, et superexaltemus eum in saecula.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione vere fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia maiestatis tuae adorare unitatem, quaesumus: ut eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Christum Dominum nostrum. (℟) Amen.

Psall. Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Virtutes, Principatus et Potestates, Cherubim et Seraphim, omnes Virtutes caelorum laudate Dominum de caelis. *Cap.* In conspectu Angelorum psallam tibi: ℣ Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Oratio. Deus, qui miro.... muniatur. Per. (vol. III, p. 357).

Psall. De ventre matris meae vocavit Dnus nomine meo. *Cap.* Iohannes est nomen eius: ℣ Et multi in nativitate eius gaudebunt.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, da cordibus.... edocuit. Per. (ib. p. 301).

Psall. Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes iudicantes duodecim tribus Israel. *Cap.* In omnem terram exivit sonus Apostolorum: ℣ Et in fines orbis terrae verba eorum.

Oratio. Adesto, Domine, supplicationibus nostris: et sperantes in tua misericordia, intercedentibus omnibus Apostolis tuis, caelesti protege benignus auxilio. Per.

Psall. Ecce video caelos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei. *Cap.* Posuisti, Dne, in capite eius: ℣ Coronam de lapide pretioso.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui primitias.... ut ipse pro.... supplicavit. Dominum nostrum (ib. p. 63).

Psall. Non me derelinquere, pater sancte; quia iam thesauros expendi quos tradidisti mihi. *Cap.* Dispersit, dedit pauperibus: ℣ Iustitia eius manet in saeculum saeculi.

Oratio. Da nobis.... superare. Per Chr. (ib. p. 330).

Psall. Benedicimus te, Dne, quia vidimus, et habemus, Christe, viros sanctos tuos, et discipulos apostoli tui beati Petri. *Cap.* Iustorum animae in manu Dei sunt: ℣ Et non tanget illos tormentum malitiae.

Oratio. Tribue, quaes., omnip. Deus, beatissimorum martyrum.... aeterna. Per (ib. p. 321).

Psall. Vos estis cives sanctorum, et domestici Dei, superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum. *Cap.* Beati pacifici, beati mundo corde: ℣ Quoniam ipsi Deum videbunt.

Oratio. Adesto, Dne, supplicationibus.... adiuvemur. Per Chr. (ib. p. 295).

Psall. Confessor sancte, sacerdos magne, beate Ambrosi, intercede pro nobis. *Cap.* Amavit eum Dnus, et ornavit eum: ℣ Stolam gloriae suae induit eum.

Orat. Sancti Ambrosii nos, quaesumus, Dne, iugiter prosequatur oratio: ut quod petitio nostra non impetrat, ipso pro nobis interveniente, praestetur. Per Christum.

Psall. Sanctorum memoriam colimus, Dne; te magnificamus: quia tu, Christe, coronasti eos, quia custodierunt mandata tua: eorum precibus dele iniquitates nostras, et miserere nobis. *Cap.* Exultabunt Sancti in gloria: ℣ Laetabuntur in cubilibus suis.

Oratio. Deus, qui nos beatae Mariae semper virginis, et beatorum Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, omniumque Electorum tuorum continua laetificas commemoratione; praesta, quesumus: ut quos cotidiano veneramur officio, etiam piae conversationis sequamur exemplo. Per.

Ad Primam. *Hymnus.* Memento salutis auctor: quod nostri quondam corporis: ex illibata Virgine: nascendo formam sumpseris. (1)

Gloria tibi, Dne: qui natus es de Virgine: cum Patre, sancto Spiritu: in sempiterna saecula. Amen.

Psalm. (53) Deus in nomine tuo. Gloria Patri. *Al. ps.* (117) Confitemini Dno: dicat nunc. *Epistolella.* Sapientia vincit malitiam. (*sic*). ℟ Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum. ℣ Benedicta tu inter mulieres: Dominus tecum. ℣ Gloria Patri. *Cap.* Post partum Virgo inviolata permansisti: ℣ Dei Genitrix, intercede pro nobis.

Orat. Famulorum tuorum, quaes., Dne, delictis ignosce: et quia tibi placere de actibus nostris non valemus, Genitricis Filii tui Dni nostri intercessione salvemur. Per Christum.

Psall. (sic) Sancti Dei omnes, intercedite pro nostra omniumque salute. *Cap.* Laetamini in Dno, et exultate iusti: ℣ Et gloriamini omnes recti corde.

(1) *al. ma. in calce fol. add.*: « Maria, mater gratiae: mater misericordiae: tu nos ab hoste protege: et hora mortis suscipe ».

Oratio. Infirmitatem nostram, quaesumus, Dne, propitius respice: et mala omnia, quae iuste meremur, omnium Sanctorum tuorum intercessione averte. Per.

Ad Tertiam. *Hymnus.* Memento salutis. *Psalm. I* (119) Ad Dnum cum tribularer. Gloria Patri. *II.* (120) Levavi oculos. *III.* (121) Laetatus sum. *Epistolella.* Sicut cinamomum et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrra electa dedi suavitatem odoris. ℟ Post partum, Virgo inviolata permansisti. ℣ Dei Genitrix, intercede pro nobis: Inviolata. *Cap.* Benedicta tu in mulieribus: ℣ Et benedictus fructus ventris tui.

Orat. Protege, quaes., Dne, famulos tuos subsidiis pacis: et beatae Mariae patrociniis confidentes, a cunctis hostibus redde securos. Per Christum Dnum nostrum. (℟) Amen.

Psall. Sancti Dei omnes. *Cap.* Laetamini in Dno.

Oratio. Praesta, quaesumus, omnipotens Deus: ut non desinant omnes Sancti tui pro nostris tibi supplicare peccatis, a quibus te voluisti pro peccatoribus exorari. Per.

Ad Sextam. *Hymnus.* Memento salutis. *Psalm I* (122) Ad te levavi. *II.* (123) Nisi quod Dnus. *III.* (124) Qui confidunt in Dno. *Epistolella.* In omnibus requiem quaesivi, et in haereditate Dni morabor: tunc praecepit, et dixit mihi creator omnium; qui creavit me requievit in tabernaculo meo. ℟ Benedicta tu in mulieribus. ℣ Et benedictus fructus ventris tui: In mulieribus. ℣ Gloria Patri. *Cap.* Elegit eam Deus, et praeelegit eam: ℣ In tabernaculo suo habitare fecit eam. *Orat.* Porrige nobis Deus dexteram.

Psall. Sancti Dei omnes. *Cap.* Laetamini in Domino.

Oratio. Deus, qui Sanctis tuis coronam dedisti, et peccatoribus veniam non negasti: omnes exaudi, et omnium miserere. Per.

Ad Nonam. *Hymn.* Memento salutis. *Psalm. I.* (125) In convertendo. *II.* (126) Nisi Dnus aedificaverit. *III* (127) Beati omnes. *Epistolella.* Maria Virgo, semper laetare, quae meruisti Christum portare caeli et terrae creatorem: quia de tuo utero protulisti mundi salvatorem. ℟ Elegit eam Deus, et praeelegit eam. ℣ In tabernaculo suo habitare fecit eam: Praeelegit. (℣) Gloria Patri. *Cap.* Diffusa est

gratia in labiis tuis: ℣ Propterea benedixit te Deus in aeternum.

Orat. Beatae et gioriosae semperque virginis Dei genitricis Mariae intercessio nos gloriosa protegat: et ad vitam perducat aeternam. Per.

Psall. Sancti Dei omnes, intercedite. *Cap.* Laetamini in Dno. *Oratio.* Tribue, quaes., omnip. Deus, omnes Sanctos tuos iugiter orare pro nobis: et eos clementer exaudire digneris. Per.

Ad Vesperum. *Luc.* Quoniam tu illuminas. ℣ Quoniam in te. *Ant. in choro.* Ornavit me ornamento. *Hymn.* Mysterium ecclesiae: *totum.* ℟ Sancta Dei genitrix. ℣ Deprecare pro nobis. *Ant.* Ave, virgo Maria, gratia plena, Dnus tecum. *Psalm.* (114) Dilexi quia audit.

Orat. Omnip. sempiterne Deus, famulos tuos dextera potentiae tuae a cunctis protege periculis: et beata Maria semper virgine intercedente, fac eos praesenti gaudere prosperitate et futura. Per.

In Magnif. Ecce ancilla [Dni fiat mihi secundum verbum tuum].

Orat. Concede nobis famulis tuis, quaes., Dne, perpetua mentis et corporis prosperitate gaudere: et gloriosa beatae Mariae semper virginis intercessione, a praesenti liberari tristitia, et futura perfrui laetitia. Per.

Psall. Virgo Verbum concepit. *Complet.* Quoniam tu illuminas. *Al.* Benedictus es Dne, Deus patrum. Kyr.

Orat. Concede, misericors Deus, fragilitati nostrae praesidium: ut qui sanctae Dei genitricis Mariae memoriam agimus, intercessionis eius auxilio a nostris iniquitatibus resurgamus. Per eumdem.

Psall. Iusti et sancti in Dno. *Cap.* Sancti tui, Dne. *Al.* Benedictus es Dne.

Oratio. Protector fidelium Deus et sanctarum lumen animarum, supplicum tuorum preces dignanter exaudi: ut spiritualium virtutum amore flagrantes, beatissimorum Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, omniumque Sanctorum tuorum consortio copulemur. Per.

Ad Completorium. *Hymn.* Memento salutis. *Psalm. I.* (128) Saepe expugnaverunt. *II.* (129) De profundis. *III.* (130) Dne non est exaltatum. *Epistolella ad Completor.* Ab initio et ante saecula creata sum, et usque ad futurum saeculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi. ℟ Specie tua et pulchritudine tua. ℣ Intende prospera et regna. (℣) Gloria Patri. *Cap.* Diffusa est gratia in labiis tuis: ℣ Propterea benedixit te Deus in aeternum. *Orat.* Famulorum tuorum quaes., Dne.

Psall. Sancti Dei omnes. *Cap.* Laetamini in Dno.

Oratio. Infirmitatem nostram, quaesumus, Dne.

INDEX RERUM
IN PRAEFATIONE, DISSERTATIONE ET NOTIS INSIGNIORUM

MANUALE AMBROSIANUM

PSALTERIUM ET KALENDARIUM

MANUALE AMBROSIANUM

SAEC. XI

CANONICAE VALLIS TRAVALIAE

---

f. 2r. Te Deum laudamus *)
Te Dominum confitemur.
Te aeternum Patrem omnis terrae veneramur.
Tibi omnes Angeli et Archangeli,
Tibi caeli et universae Potestates,
Tibi Cherubim et Seraphim incessabili voce proclamant dicentes :

4. *In M inscribitur:* Hymnus sanctorum confessorum Ambrosii et Augustini de fide christiana. — 6. terrae veneramur: terra veneratur. M.

*) Ad primitivam lectionem hymni *Te Deum* praeter scriptores, et multi de ejusdem hymni auctore tractarunt, vide *Antiph. Benchorense* (*ed. Warren*, tom. I, p. 10r, tom. II, pp. 10 et 93) et Cod. 7653 *British Museum* (v. *Warren*, l. c., tom. II, pp. 85 et 93) in quibus invenies lectiones, ut nostram, aliquantulum a moderna breviores. Modo inquirenda est ratio cur in principio Psalterii Ambrosiani semper poni consuevit hymnus *Te Deum:* hanc reddit *Beroldus* (meae edit. p. 57) ubi officia vigiliarum praecipuarum festivitatum describuntur; etenim Ordinarii, cantata tertia in ecclesia hyemali, processionaliter veniebant ad ecclesiam ubi festum celebrari oportebat; ibi, absolutis nonnullis precibus, ut Beroldus scribit, « Archiepiscopus aut presbyter « incipit: *Deus in adiutorium meum intende.* Sequitur *Te Deum lau-* « *damus.* Deinde salutat (id est: *Dominus vobiscum*). Postea incipit « Psalterium sicut mos est: et si lectiones habentur, vita vel passio « (illius sancti), notarii legunt jussu primicerii sui unam in *Quid gloriari*

Sanctus. Sanctus. Sanctus.
Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt caeli et terrae gloriae majestatis tuae.
Te gloriosus Apostolorum chorus
Te Prophetarum laudabilis numerus
Te Martyrum candidatus laudat exercitus.
Te per orbem terrarum sancta confitetur Ecclesia,
Pater *(sic)* immensae majestatis,
Venerandum tuum verum et unicum Filium,
Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.
Tu Rex gloriae Christe,
Tu Patris sempiternus es Filius,
Tu ad liberandum hominem non horruisti Virginis uterum
Tu devicto mortis aculeo aperuisti credentibus regna caelorum
Tu ad dexteram Dei sedes in gloria Patris,
Judex crederis esse venturus:
Te ergo, sancte, quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.
Aeterna fac cum Sanctis tuis gloria munerari.

3. terrae gloriae: terra, gloria. M. — 8. Pater: Patrem. M. — 13. liberandum: liberandum suscepturus. M. — 19. sancte: *om.* M. — quos: *suppl. 1. ma. sup. lin.* — 21. gloria munerari: *M. legit:* in *(sup. lin. 1. ma.)* gloria numerari.

« (nempe ante psalm. LI), alteram in *Domine exaudi* (id est ante « ps. CI). Notarius etiam ℟. in *Quid gloriaris* (post lect. I) jussu « primicerii sui, et secundicerius semper canit ℟. in *Domine exaudi*. « Finitis psalmis, Archiepiscopus canit Missam (de Vigilia) sicut mos « est.... » Ex dictis patet quam partem haberet hymnus ambrosianus in officio nostro; non enim canebatur ad matutinum quotidie, quemadmodum postea saec. XIV–XV obtinuit ex praescriptione Archiepiscoporum Joannis Vicecomitis, et Francisci Piccolpassi, ut ex hujusmodi Constitutione an. 1440 *pro reformatione officii ambrosiani* constat (v. Muratori, Antiq. M. Æ. t. VI, et *Mazzucchelli, Osserv. sul Rito Ambros. p. 349*). De partitione Psalterii in nocturna recole jam dicta in praefatione, ubi de Psalmodia Ambrosiana.

Per singulos dies benedicimus te: et laudamus nomen tuum in aeternum et in saeculum saeculi.

Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hereditatem tuam

Et rege illos et éxtolle eos usque in aeternum.

Benedictus es, Domine, Deus patrum nostrorum, et laudabilis et gloriosus in saecula saeculorum. *Amen.*

PSALTERIUM.

PSALMUS IPSIVS DAVID I.

Beatus vir qui non abiit conscilio impiorum: et in via peccatorum non stetit.

Et in cathedra pestilentiae non sedit: sed in lege Domini fuit voluntas ejus.

Et in lege ejus meditabitur die ac nocte: et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum.

Quod fructum suum dabit in tempore suo, et folium ejus non defluet; et omnia quaecumque fecerit prosperabuntur.

Non sic impii non sic: sed tamquam pulvis quem pro-
f. 3. iicit ventus * a facie terrae.

Ideo non resurgunt impii in iuditio: neque peccatores in conscilio iustorum.

Quoniam novit Dominus viam iustorum: et iter impiorum peribit.

1. Per singulos, etc. M. *deinceps legit ut in hodiernis Brev. Ambros. editis:* Salvum fac populum tuum Domine. — Et benedic hereditati tuae. — Et rege eos et extolle illos usque in aeternum. — Per singulos dies benedicimus te. — Et laudamus nomen tuum in aeternum et in saeculum saeculi. — Dignare, Domine, die isto sine peccatis nos custodire. — Miserere nostri, Domine, miserere nostri. — Fiat, Domine misericordia tua super nos quemadmodum speravimus in te. — In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum. — Benedictus es, Domine, Deus patrum nostrorum, et laudabilis et gloriosus in saecula saeculorum. Amen. — 8. PSALMUS etc.: M legit: *Incipit liber psalterii secundum translationem sanctissimi ac venerabilis patris nostri Ambrosii, sanctae mediolanen. ecclesiae archiepiscopi: psalmus David.* — IPSIUS: *corr. ex* IPSI, ut mendose recurrit hic et infra, ita ut expedit corrig. — 10. Beatus: *in marg. ma. poster. ant.:* In lege Domini, *pro Noct. I, fer. II, hebd. I.*

PSALMUS IPSIUS DAVID II.

Quare fremuerunt gentes: et populi meditati sunt inania:

Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum: adversus Dominum, et adversus christum ejus.

Disrumpamus vincula eorum: et proiiciamus a nobis iugum ipsorum.

Qui habitat in caelis irridebit eos: et Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua: et in furore suo conturbavit eos.

Ego autem constitutus sum rex ab eo: super Syon montem sanctum ejus praedicans praeceptum Domini.

Dominus dixit ad me Filius meus es tu: ego hodie genui te.

Pete a me et dabo tibi gentes haereditatem tuam: et possessionem tuam terminos terrae.

Reges eos in virga ferrea: et tamquam vas figuli confringes eos.

Et nunc reges intelligite: erudimini qui iudicatis terram.

Servite Domino in timore: et exsultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, et pereatis de via iusta:

Cum exarserit in brevi ira eius: beati omnes qui confidunt in eo.

PSALMUS III.

Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me, multi insurgunt adversum me: multi dicunt animae meae non est salus illi in Deo eius

Tu autem Domine susceptor meus es: gloria mea et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi: et exaudivit me de monte sancto suo.

10. conturbavit: conturbabit. W. 11. constitutus: *corr. ex* constitus.

Ego dormivi et quievi: et surrexi quoniam Dominus suscepit me.

Non timebo milia populi circumdantis me: exsurge Domine salva me Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus: et super populum tuum benedictio tua.

PSALMUS IPSIUS DAVID IIII.

Cum invocarem te exaudisti me: Deus iustitiae meae.

In tribulatione dilatasti mihi: miserere mei et exaudi orationem meam.

f. 3'. Filii hominum usquequo gravi es corde: ⁑ ut quid diligitis vanitatem et quaeritis mendatium?

Scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum: Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.

Irascimini et nolite peccare: quae dicitis in cordibus vestris: et in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificate sacrificium iustitiae: et sperate in Domino.

Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona: signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.

Dedisti laetitiam in corde meo: a tempore frumenti vini et olei sui multiplicati sunt.

In pace in idipsum obdormiam et requiescam: quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.

PSALMUS DAVID V.

Verba mea auribus percipe, Domine, intellige clamorem meum: intende voci orationis meae, rex meus et Deus meus.

Quoniam ad te orabo, Domine: mane et exaudies vocem meam.

Mane adstabo tibi et videbo: quoniam non volens Deus iniquitatem tu es.

13. gravi es: *item in* M *1. ma., sed ma. poster. abras.* es; W *legit:* graves. — quid: *corr. cum* M *ex* qui.

Non habitabit iuxta te malignus : neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.

Odisti omnes qui operantur iniquitatem : perdes eos qui locuntur mendacium.

Virum sanguinum et dolosum : abominabitur Dominus.

Ego autem in multitudine misericordiae tuae introibo in domum tuam : adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Domine, deduc me in tua iustitia : propter inimicos meos.

Dirige in conspectu tuo viam meam ; quoniam non est in ore eorum veritas : cor eorum vanum est.

Sepulchrum patens est guttur eorum : linguis suis dolose agebant, iudica illos Deus.

Decidant a consiliis suis, secundum multitudinem impietatum eorum : expelle eos, quoniam exacerbaverunt te, Domine.

Laetentur omnes qui sperant in te in aeternum : exsultabunt et inhabitabis in eis : et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum.

Quoniam tu Domine benedices justum : Domine ut scuto bonae voluntatis tuae coronasti nos.

PSALMUS DAVID VI.

Domine, ne in ira tua arguas me : neque in furore ‡ f. 4
tuo corripias me.

Miserere mei Domine quoniam infirmus sum : sana me Domine quoniam turbata sunt ossa mea : et anima mea turbata est valde : et tu Domine usquequo ?

Convertere Domine et eripe animam meam : salva me propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte quis memor sit tui : in infernum autem quis confitebitur tibi ?

1. iuxta : *corr. ex* iusta. — 3. perdes : et perdes. M. W. — 11. cor eorum vanum est : *suppl. 1. ma. sup. lin.* — 30. quis : qui. M. — 31. infernum : inferno. M. W.

Laboravi in gemitu meo lavabo per singulas noctes: lectum meum lacrimis stratum meum rigabo.

Turbatus est prae ira oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.

Confundantur et conturbentur omnes inimici mei: avertantur retrorsum, et confundantur valde velociter.

PSALMUS DAVID VII.

Domine Deus meus in te speravi: salva me ab omnibus persequentibus me et eripe me:

Ne quando rapiat ut leo animam meam: dum non est qui redimat neque qui salvum faciat.

Domine Deus meus si feci istud: si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala.

Decidam merito ab inimicis meis inanis, persequatur inimicus animam meam: et comprehendat et conculcet in terra vitam meam, et gloriam meam in pulverem deducat.

Exsurge, Domine, in ira tua: et exaltare in finibus inimicorum tuorum.

Exsurge Domine Deus meus in praecepto quod mandasti: et synagoga populorum circumdabit te.

Et propter hanc in altum regredere Domine iudica populos: iudica me Domine secundum iustitiam meam, et secundum innocentiam manuum mearum super me.

Consumetur vero nequitia peccatorum: et dirige iustum.

Scrutans corda et renes Deus: iustum adiutorium meum a Domino, qui salvos facit rectos corde.

Deus iudex iustus fortis et longanimis: et non iram adducens per singulos dies.

5. operamini: operantur. W. — 20. terra: terram. M, W. — 28. nequitia: *corr. ex* nequitias.

☩ Nisi convertamini gladium suum vibravit, arcum suum tetendit et paravit illum: et in ipso paravit vasa mortis. f. 4r

Sagittas suas ardentibus effecit: ecce parturit iniustitiam, concepit dolorem et peperit iniquitatem.

Lacum fodit et effodit eum: et incidit in foveam quam fecit.

Convertetur dolor eius in caput eius: et in verticem eius iniquitas eius descendet.

Confitebor Domino secundum iustitiam eius: et psallam nomini Domini altissimi.

PSALMUS DAVID VIII.

Domine Dominus noster: quam admirabile est nomen tuum in universa terra.

Quoniam elevata est magnificentia tua super caelos: ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem.

Propter inimicos tuos: ut destruas inimicum et defensorem.

Quoniam videbo caelos opera digitorum tuorum: lunam et stellas quas tu fundasti.

Quid est homo, quod memor es ejus: aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minorasti eum paulominus ab angelis: gloria et honore coronasti eum: et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subiecisti sub pedibus eius, oves et boves universas insuper et pecora campi: volucres caeli et pisces maris, qui perambulant semitas maris.

Domine, Dominus noster: quam admirabile est nomen tuum in universa terra.

PSALMUS IPSIUS DAVID VIIII.

Confitebor tibi Domine, in tote corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.

26. volucres: et volucres. M; *in* W *abras.* et. — 27. semitas: *ut in* M *corr. ex* semitis. — 29. terra: *inter lin. ma. poster. add. ant.:* In lege Domini meditabitur die ac nocte, *et seq. ant. noct. II:* Narrabo omnia.

Laetabor et exsultabo in te: et psallam nomini tuo, Altissime.

Dum avertatur inimicus meus retrorsum: infirmabuntur et perient a facie tua.

Quoniam fecisti iudicium meum et causam meam: sedes super thronum qui iudicas iustitiam.

Increpasti gentes, et periit impius: nomen ejus delesti in aeternum et in saeculum saeculi.

Inimici defecerunt framea in finem: et civitates destruxisti.

Periit memoria eorum cum sonitu: et Dominus in aeternum manet.

Paravit in judicio thronum suum: et ipse ‡ iudicabit
5. orbem terrae in iustitia.

Iudicabit populos in aequitate: et factus est Dominus refugium pauperum.

Adiutor in opportunitatibus in tribulatione: sperent in te qui noverunt nomen tuum.

Quoniam non derelinques quaerentes te, Domine: psallite Domino qui habitat in Syon.

Annuntiate inter gentes studia ejus, quoniam requirens sanguinem eorum: memoratus est et non est oblitus clamorem inopum.

Miserere mei, Domine: vide humilitatem meam de inimicis meis: qui exaltas me de portis mortis.

Ut annuntiem omnes laudes tuas in portis filiae Syon.

Exultabo in salutari tuo: infixae sunt gentes in interitu quem fecerunt; in laqueo isto, quem occultaverunt, comprehensus est pes eorum.

Cognoscetur Dominus iudicia faciens: in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.

Convertantur peccatores in infernum: omnes gentes quae obliviscuntur Deum.

3. infirmabuntur: et firmabuntur. M. W. — 9. civitates: civitates eorum. M. — 16. refugium: in refugium. M. W. — 22. sanguinem: *om.* W. — 24. mei: mihi. W.

Quia non in finem obliviscetur pauperum: patientia pauperum non peribit in aeternum.

Exurge, Domine, non confortetur homo: iudicentur gentes in conspectu tuo.

Constitue, Domine, legislatorem super eos: ut sciant gentes quoniam homines sunt.

Ut quid, Domine, recessisti longe: despicis in opportunitatibus in tribulatione:

Dum superbit impius, incenditur pauper: comprehenduntur in cogitationibus suis quas cogitant.

Quoniam laudatur peccator in desideriis animae suae: et qui iniqua gerit benedicetur.

Irritabit Dominum peccator: secundum multitudinem irae suae non inquiret.

Non est Deus in conspectu eius: contaminantur viae eius in omni tempore.

Auferuntur iudicia tua a facie eius: omnium inimicorum suorum dominabitur.

Dixit enim in corde suo: Non movebor a generatione et generatione sine malo.

Cuius maledictione os plenum est et amaritudine et dolo: sub lingua ‡ labor et dolor. f. 5.'

Sedet in insidiis cum divitibus in occultis: ut interficiat innocentem.

Oculi ejus in pauperem respiciunt: insidiatur in occultis sicut leo in cubili suo.

Insidiatur ut rapiat inopem, rapere pauperem dum adtrahit eum, in laqueo suo humiliabit eum.

Inclinabit se et cadet: dum dominabitur pauperum.

Dixit enim in corde suo: Oblitus est Deus: avertit faciem suam, ne videat usque in finem.

Exsurge, Domine Deus meus: et exaltetur manus tua: ne obliviscaris pauperum in finem.

12. benedicetur: benedicitur. M. W. — 20. et generatione: in generatione. M. W. — 22. lingua: lingua eius. M. — 29. dum: cum. M.

Propter quid irritabit impius Deum: dixit enim in corde suo: Non inquiret.

Vides quoniam tu laborem et dolorem consideras: ut tradas eum in manus tuas.

Tibi derelictus est pauper: pupillo tu eris adiutor.

Contere brachium peccatoris et maligni: requiretur peccatum ejus nec invenietur.

Regnabit Dominus in aeternum et in saeculum saeculi: peribitis gentes de terra ejus.

Desiderium pauperum exaudivit Dominus praeparationes cordis eorum exaudivit auris tua.

Iudicare pupillo et humili: ut non adiitiat adhuc magnificare se homo super terram.

PSALMUS DAVID X.

In Domino confido, quomodo dicitis animae meae: Transmigra in monte sicut passer?

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum: paraverunt sagittas in pharetra.

Ut sagittent in obscuro rectos corde: quoniam quem tu perfecisti ipsi destruxerunt: iustus autem quid fecit?

Dominus in templo sancto suo: Dominus in caelo sedes eius.

Oculi eius in pauperem respitiunt: palpebrae eius interrogant filios hominum.

Dominus interrogat iustum et impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

Pluit super peccatores laqueos: ignis sulphur spiritus procellae: pars calicis eorum.

Quoniam iustus Dominus iustitiam dilexit: aequitatem vidit vultus eius.

12. adiitiat: *corr. ex* aditiat. — 18. sagittas: sagittas suas. M, *in fol. suppl. ma. poster. saec. XV.*

PSALMUS DAVID XI. ⁑ f. 6.

Salva me, Domine, quoniam defecit sanctus: quoniam deminutae sunt veritates a filiis hominum.

Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum: labia dolosa in corde et corde locuti sunt mala.

Disperdat Dominus universa labia dolosa: et linguam magniloquam.

Qui dixerunt: Linguam nostram magnificabimus: labia nostra a nobis sunt; quis noster Dominus est?

Propter miseriam inopum et gemitum pauperum: nunc exurgam, dicit Dominus.

Ponam in salutari tuo fidutialiter agam in eo: eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terrae purgatum septuplum.

Et tu, Domine, servabis nos: et custodies nos a generatione hac et in aeternum.

In circuitu impii ambulant: secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.

DAVID XII.

Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem: quousque avertis fatiem tua a me?

Quamdiu ponam consilium in anima mea: dolorem in corde meo per diem?

Usquequo exaltabitur inimicus meus super me: respice et exaudi me, Domine Deus meus.

Inlumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte: nequando dicat inimicus meus: Praevalui adversus eum.

Qui tribulant me, exsultabunt, si motus fuero: ego autem in tua misericordia sperabo.

Exultabit cor meum in salutari tuo, cantabo Domino qui bona tribuit mihi: et psallam nomini Domini altissimi.

8. Linguam: *corr. ex* Lingua. - 30. Exultabit: Exultavit. M. W.

PSALMUS DAVID XIII. *)

Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus: corrupti sunt et abominabiles facti sunt in voluntatibus suis.

. 6'. Non est qui faciat bonum: ‡ non est usque ad unum.

Dominus de caelo prospexit super filios hominum: ut videret, si est intelligens aut requirens Deum.

Omnes declinaverunt; simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum non est usque ad unum.

Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant: venenum aspidum sub labiis eorum.

Quorum os maledictione et amaritudine plenum est: veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.

Contritio et infelicitas in viis eorum: et viam pacis non cognoverunt.

Non est timor Dei ante oculos eorum; nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem: qui devorant plebem meam tamquam cibum panis; Deum non invocaverunt.

Illic trepidaverunt timorem, ubi non erat timor: quoniam Deus in generatione iusta est.

Consilium inopis confudisti: quoniam Dominus spes eius est.

Quis dabit ex Sion salutare Israhel; in convertendo Dominus captivitatem plebis suae: laetetur Jacob et exsultet Israhel.

PSALMUS IPSIUS DAVID XIIII.

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo: aut quiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine macula: et operatur iustitiam.

Qui loquitur veritatem in corde suo: qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum.

1. *al. ma. addit.:* Narrabo omnia mirabilia tua, Domine, *(ant. noct. II). (al. ant.)* Deus de caelo. — 18. timorem: timore. M. W. — 26. aut quiescet: aut quis requiescet. M. W.

Et obprobrium non accepit adversus proximum suum; ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus: timentes autem Dominum magnificat.

Qui iurat proximo suo et non decipit qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.

Qui facit haec: non movebitur in aeternum:

PSALMUS IPSIUS DAVID XV.

Conserva me, Domine, quoniam in te speravi: dixi ‡ f. 7.
Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis qui in terra sunt eius: mirificavit omnes voluntates meas inter illos.

Multiplicatae sunt enim infirmitates eorum: postea acceleraverunt:

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus: nec memor ero nominum illorum per labia mea.

Dominus pars haereditatis meae et calicis mei: tu es qui restituisti haereditatem meam mihi.

Funes ceciderunt mihi in praeclaris: etenim haereditas mea praeclara est mihi.

Benedicam Dominum qui mihi tribuit intellectum: insuper et usque in noctem increpuerunt me renes mei.

Providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam a dextris meis est ut non commovear.

Propter hoc delectatum est cor meum: et exultavit lingua mea insuper et caro mea requiescet in spe.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Notas mihi fecisti vias vitae: adimplebis me laetitia cum vultu tuo, delectatio in dextera tua in finem.

23. et usque in: *supp. 1 ma. sup. lin.* — 31. in finem: usque in finem. M. W.

PSALMUS DAVID XVI.

Exaudi, Domine, iustitiam meam: intende deprecationem meam.

Auribus percipe orationem meam: non in labiis dolosis.

De vultu tuo iudicium meum prodeat: oculi mei videant aequitatem.

Probasti cor meum et visitasti nocte: igne me examinasti: et non est inventa in me iniquitas.

Ut non loquatur os meum opera hominum: propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.

Perfice gressus meos in semitis tuis: ut non moveantur vestigia mea.

Ego clamavi, quoniam exaudisti me, Deus: inclina aurem tuam mihi et exaudi verba mea.

Mirifica misericordias tuas: qui salvos facis sperantes in te.

A resistentibus dexterae tuae custodi ‡ me, Domine, ut pupillam oculi: sub umbra alarum tuarum protege me.

A facie impiorum qui me afflixerunt, inimici mei animam meam circumdederunt: adipem suum concluserunt, os eorum locutum est superbiam.

Proicientes me nunc circumdederunt me: oculos suos statuerunt declinare in terram.

Susceperunt me sicut leo paratus ad praedam: et sicut catulus leonis habitans in abditis.

Exurge, Domine, praeveni eos, et subverte eos: eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuae.

Domine, a paucis a terra dispertire eos in vita ipsorum: et de absconditis tuis adimpletus est venter eorum.

Saturati sunt filii eorum: et reliquerunt quae superfuerunt parvulis suis.

11. moveantur: n *suppl. 1 ma. sup. lin.* — 26. subverte eos: subverte illos. M. W.

Ego autem cum iustitia apparebo in conspectu tuo: satiabor dum manifestabitur mihi gloria tua.

PSALMUS DAVID XVII. *)

Diligam te, Domine, virtus mea: Dominus firmamentum meum et refugium meum, et liberator meus.

Deus meus, adiutor meus: et sperabo in eum.

Protector meus et cornu salutis meae: et susceptor meus.

Laudans invocabo Dominum: et ab inimicis meis salvus ero.

Circumdederunt me gemitus mortis: et torrentes iniquitatis conturbaverunt me.

Dolores inferni circumdederunt me: praevenerunt me laquei mortis.

Et cum tribularer, invocavi Dominum: et ad Deum meum clamavi.

Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam: et clamor meus in conspectu eius introivit in aures eius.

Commota est et contremuit terra: fundamenta montium conturbata sunt et commota sunt; quoniam iratus est eis Deus.

Ascendit fumus in ira eius: et ignis a facie exardescet.

Carbones suc‡censi sunt ab eo, et inclinavit caelos: et f. 8.
descendit et caligo sub pedibus eius.

Et ascendit super Cherubim et volavit: volavit super pennas ventorum.

Et posuit tenebras latibulum suum; in circuitu eius tabernaculum eius.

Tenebrosa aqua in nubibus aeris: prae fulgore eius in conspectu eius nubes eius transierunt.

Grando et carbones ignis, et intonuit de caelo Dominus: et altissimus dedit vocem suam.

3. *In margine al. ma.: « DIE martis fer. III.* Deus de caelo respice super filios hominum. *(ant. noct. III, fer. II).* Firmamentum meum » *ant. noct. I, fer. III hebd. I.* — 12. praevenerunt: et praevenerunt. M. W. — 13. laquei: e *suppl. 1 ma. sup. lin.* — 20. facie: facie eius. M. — exardescet: exardescit. M. — 22. et caligo: caligo. M. W.

Misit sagittas suas, et dissipavit eos: et fulgora multiplicavit et conturbavit eos.

Et apparuerunt fontes aquarum: et revelata sunt fundamenta orbis terrae.

Ab increpatione tua, Domine: ab inspiratione spiritus irae tuae.

Misit de summo et accepit me: et assumpsit me de multitudine aquarum.

Eripuit me de inimicis meis fortissimis: et ab his qui oderunt me: quia confortati sunt super me.

Praevenerunt me in die afflictionis meae: et factus est Dominus protector meus.

Produxit me in latitudinem liberavit me: quoniam voluit me.

Et retribuit mihi Dominus secundum iustitiam meam: et secundum innocentiam manuum mearum retribuit mihi:

Quoniam custodivi vias Domini: nec impie gessi a Deo meo:

Quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo sunt semper: et iusticiam eius non repuli a me.

Et ero immaculatus cum eo: et observabo me ab iniquitate mea.

Et retribuet mihi Dominus secundum iusticiam meam: et secundum innocentiam manuum mearum in conspectu oculorum eius.

Cum iusto iustus eris: et cum viro innocente innocens eris: et cum electo electus eris, et cum perverso subverteris;

Quoniam tu populum humilem salvum fatias: et oculos superborum humiliabis.

. 8'. ‡ Quoniam tu inluminas lucernam meam Domine: Deus meus inlumina tenebras meas:

Quoniam in te eripiar a temptatione: et in Deo meo transgrediar murum.

9. Eripuit: Et eripuit. W. M. — 23. retribuet: retribuit. W. M.
28. fatias: faties. W. M.

Deus meus, impolluta via eius: eloquia Domini igne examinata; protector est omnium sperantium in eum.

Quoniam quis Deus praeter Dominum: aut quis Deus praeter Deum nostrum?

Deus qui praecinxit me virtute: et posuit immaculatam viam meam.

Qui perficit pedes meos tamquam cervi: et super excelsa statuit me.

Qui docet manus meas ad praelium: et posuisti ut arcum aereum brachia mea.

Et dedisti mihi protectionem salutis tuae; et dextera tua suscepit me; et disciplina tua stabilivit me in finem: et disciplina tua ipsa me docebit.

Dilatasti gressus meos subtus me: et non sunt infirmata vestigia mea.

Persequar inimicos meos; et comprehendam illos: et non convertar donec defitiant.

Confringam illos, nec potuerunt stare: cadent subtus pedes meos.

Et praecinxisti me virtute ad bellum, et subplantasti omnes insurgentes in me subtus me: et inimicos meos dedisti mihi dorsum; et odientes me disperdidisti.

Clamaverunt, nec erat qui salvaret ad Dominum: nec exaudivit eos.

Et comminuam eos ut pulverem ante fatiem venti: ut lutum platearum delebo eos.

Eripies me de contradictionibus populi: constitues eos in caput gentium.

Populus, quem non cognovi, servivit mihi: obauditu auris obaudivit mihi.

Filii alieni mentiti sunt mihi: filii alieni inveteraverunt et claudicaverunt a semitis suis.

Vivit Dominus, et benedictus Deus meus: et exaltetur Deus salutis meae.

18. potuerunt: poterunt. W. M. — 27. eos: me. W. M.

Deus qui das vindictam mihi: et subdidisti populos sub me.

f. 9. Liberator meus de gentibus ‡ iracundis; ab insurgentibus in me exaltabis me, a viro iniquo eripies me.

Propterea confitebor tibi in gentibus, Domine: et nomini tuo psallam.

Magnificans salutaria regis ipsius; et fatiens misericordiam Christo suo David: et semini eius usque in aeternum.

PSALMUS DAVID XVIII.

Caeli ennarrant gloriam Dei: et opera manuum eius annuntiant firmamentum.

Dies diei eructat verbum: et nox nocti indicat scientiam.

Non sunt loquelae, neque sermones: quorum non audiantur voces eorum.

In omnem terram exivit sonus eorum: et in fines orbis terrae verba eorum.

In sole posuit tabernaculum suum: et ipse tamquam sponsus, procedens e thalamo suo.

Exultavit ut gigas ad currendam viam; a summo caelo egressio eius: et occursus eius usque ad summum eius.

Et non est qui se abscondat a calore eius: lex Domini inreprehensibilis convertens animas.

Testimonium Domini fidele: sapientiam praestans parvulis.

Iustitiae Domini rectae, laetificantes corda: praeceptum Domini lucidum inluminans oculos.

Timor Domini sanctus: permanet in saeculum saeculi.

Iudicia Dei vera iustificata in semetipsa, desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum: multum et dulciora super mel et favum.

Etenim servus tuus custodit ea: in custodiendo illa retributio multa, delicta quis intelligit?

5. nomini: in nomine. W. M. — 11. annuntiant: annuntiat. W. — 18. e: de. W. M. — 29. pretiosum: multum; pretiosum multum:. W. M.

Ab occultis meis munda me, Domine: et ab alienis parce servo tuo.

Si mei non fuerint dominati, tunc inmaculatus ero: et mundabor a delicto maximo.

Et erunt ut complaceant eloquia oris mei: et meditatio cordis mei, in conspectu tuo semper.

⁑ Domine, adiutor meus: et redemptor meus. f. 9.r

PSALMUS DAVID XVIIII.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxilium de sancto: et de Sion suscipiat te.

Memor sit omnis sacrificii tui: et holocaustum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi Dominus secundum cor tuum: et omne consilium tuum confirmet.

Laetabimur in salutari tuo: et in nomine Domini Dei nostri magnificabimur.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas: nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus Christum suum.

Exaudiet eum de caelo sancto suo: in potentatibus salus dexterae eius.

Hi in curribus et hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.

Ipsi obligati sunt et ceciderunt: nos vero surreximus et erecti sumus.

Domine, salvum fac regem: et exaudi nos in quacumque die invocaverimus te.

PSALMUS XX.

Domine, in virtute tua laetabitur rex: et super salutare tuum exultavit vehementer.

Desiderium cordis eius tribuisti ei: et voluntate labiorum eius non fraudasti eum.

4. mundabor: emundabor. W. M. — 14. et omne: W *om.* et.

Quoniam praevenisti eum in benedictione dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.

Vitam petiit te: et tribuisti ei longitudinem dierum in saeculum saeculi.

Magna gloria eius in salutari tuo: gloriam et magnum decorem impones super eum.

Quoniam dabis eum in benedictione in saeculum saeculi: laetificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

Quoniam rex sperat in Domino: et in misericordia Altissimi non commovebitur.

Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inveniat omnes qui te oderunt.

Quoniam pones eos ut clibanum ignis: in tempore vultus tui.

Dominus in ira sua conturbavit eos: et devoravit eos ignis.

10. ‡ Fructum eorum de terra perdes: et semini eorum a filiis hominum.

Quoniam declinaverunt in te mala: cogitaverunt consilium quod non potuerunt stabilire.

Quoniam pones eos dorsum: in reliquiis tuis praeparabis vultum illorum.

Exaltare, Domine, in virtute tua: cantabimus et psallemus virtutes tuas. *)

PSALMUS DAVID XXI.

Deus, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti.

Longe a salute mea: verba delictorum meorum.

Deus meus, clamabo per diem ad te, nec exaudies in nocte: et non ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto habitas, laus Israel: in te speraverunt patres nostri, speraverunt, et liberasti eos.

7. benedictione: benedictionem. W. M. — 9. in misericordia: *W. M. om.* in. — 15. conturbavit: conturbabit. W. M. — 17. semini: semen. W. M. — 24. *) *Alia ma. in marg. ant.*, « Firmamentum eum et refugium meum Dominus *ant. Noct. I, fer. III, hebd. I)* Deus Deus meus » *ant. seq. Noct. II.*

Ad te clamaverunt et salvi facti sunt: in te speraverunt et non sunt confusi.

Ego autem sum vermis et non homo: obprobrium hominum, et abiectio plebis.

Omnes, qui conspiciebant me, aspernabantur me: locuti sunt labiis et moverunt caput.

Speravit in Domino, eripiat eum: salvum fatiat eum, quoniam vult eum;

Quoniam tu es qui abstraxisti me de ventre: spes mea ab uberibus matris meae.

In te proiectus sum ex utero: de ventre matris meae Deus meus es tu.

Ne discedas a me, quoniam tribulatio proxima est: quoniam non est qui adiuvet.

Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me.

Aperuerunt in me os suum, sicut leo rapiens et rugiens: sicut aqua effusa sunt et dispersa sunt omnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera: liquescens in medio ventris mei.

Exaruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhaesit faucibus meis: et in pulverem mortis deduxisti me.

Quoniam circumdederunt me canes multi: consilium malignantium obsedit me.

Foderunt manus meas et pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea.

Ipsi vero consideraverunt et conspexerunt me; diviserunt sibi vestimenta mea: et super vestem meam miserunt sortem.

Tu autem, Domine, ne elongaveris ‡ auxilium tuum ad f. 10'
me: ad defensionem meam inspice.

Eripe a framea animam meam: et de manu canis unicam meam.

6. moverunt: 1 *ma.*: commoverunt. *corr. in actu script.* — 18. sicut: et sicut. W. M. — 30. ad me: a me. W. M.

Salva me ex ore leonis: et a cornibus unicornuorum, humilitatem meam.

Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio ecclesiae laudabo te.

Qui timetis Dominum laudate eum: universum semen Jacob glorificate eum.

Timeat eum omne semen Israel: quoniam non sprevit, neque despexit deprecationes pauperum.

Neque avertit faciem suam a me: et cum clamarem ad eum, exaudivit me.

Apud te laus mihi in ecclesia magna: vota mea Domino reddam in conspectu timentium eum.

Manducabunt pauperes et saturabuntur: et laudabunt Dominum qui requirunt eum.

Vivent corda eorum in saeculum saeculi: reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terrae.

Et adorabunt in conspectu ejus omnes patriae gentium: quoniam Domini est regnum et ipse dominabitur gentium.

Manducaverunt et adoraverunt omnes divites terrae: in conspectu eius procedunt omnes qui descendunt in terram.

Et anima mea illi vivet: et semen meum serviet ipsi.

Et annuntiabitur Domino generatio ventura: et annuntiabunt caeli iustitiam eius, populo qui nascetur, quem fecit Dominus.

PSALMUS XXII.

Dominus regit me, et nihil mihi deerit: in loco pascuae ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertens deduxit me super semitam iustitiae, propter nomen suum.

Nam etsi ambulem in medio umbrae mortis: non timebo mala, quoniam tu mecum es.

15. Vivent: Vivunt. W. M. — 20. procedunt: procident. W. M. — 23. populo: *corr. ex* populus *cum* M. — 25. PSALMUS: *suppl. in hac edit.*

Virga tua et baculus tuus: ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam: adversum eos qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum: et poculum tuum inebrians quam praeclarum est.

Et misericordia tua subsequatur me: omnibus diebus vitae meae.

Et ut inhabitem in domo Domini: in longitudinem dierum.

PSALMUS XXIII.

✠ Domini est terra et plenitudo eius: orbis terrarum f. 11.
et universi qui habitant in eo.

Ipse super maria fundavit eum: et super flumina praeparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini: aut quis stabit in loco sancto eius:

Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam: nec iuravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino: et misericordiam a Deo salutari suo.

Haec est generatio quaerentium Dominum: quaerentium fatiem Dei Jacob.

Tollite portas principis vestri: et elevamini portae aeternales, et introibit rex gloriae.

Quis est iste rex gloriae? Dominus fortis et potens; Dominus potens in praelio.

Tollite portas principis vestri, et elevamini portae aeternales: et introibit rex gloriae.

Quis est iste rex gloriae? Dominus virtutum ipse est rex gloriae.

1. me: me, Domine. M. — 2. adversum: adversus. W. M. — 10. PSALMUS: *suppl. in hac ed.* — 29. iste: *om.* W. — est rex: est *om.* M.

PSALMUS XXIIII.

Ad te, Domine, levavi animam meam: Deus meus, in te confido, non erubescam.

Neque irredeant me inimici mei: etenim universi, qui te expectant, non confundentur.

Confundantur iniqua gerentes supervacue; vias tuas, Domine, notas fac mihi: et semitas tuas et doce me.

Dirige me in veritate tua, et doce me: quia tu es Deus salutaris meus, et te sustinui tota die.

Memento miserationum tuarum, Domine: et misericordiae tuae quae a saeculo sunt:

Delicta iuventutis meae: et ignorantias meas ne memineris.

Secundum misericordiam tuam memor esto mei tu, propter bonitatem tuam, Domine: dulcis et rectus Dominus.

Propter hoc legem statuet delinquentibus in via; diriget mansuetos in iudicio: docebit mites vias suas.

Universae viae Domini misericordia et veritas: requirentibus testamentum eius, et testimonia eius.

Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato
11.' meo ✻ copiosum est enim.

Quis est homo qui timeat Dominum? legem statuet ei in via quam elegit.

Anima eius in bonis demorabitur: et semen eius hereditabit terram.

Firmamentum est Dominus timentibus eum: et testamentum ipsius ut manifestetur illis.

Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.

Respice in me et miserere mei: quoniam unicus et pauper sum ego.

1. PSALMUS: *suppl. in hac ed.* — 7. et doce: edoce. W. M. — 24. quam: *corr. ex* quem.

Tribulationes cordis mei multiplicatae sunt: de necessitatibus meis eripe me.

Vide humilitatem meam et laborem meum: et dimitte omnia peccata mea.

Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt: et odio iniquo oderunt me.

Custodi animam meam et eripe me: non confundar, quoniam speravi in te.

Innocentes et recti adhaeserunt mihi: quia sustinui te, Domine.

Redime me Deus Israhel: ab omnibus angustiis eius.

PSALMUS DAVID XXV.

Judica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum: et in Domino sperans non infirmabor.

Proba me, Domine, et tempta me: ure renes meos et cor meum.

Quoniam misericordia tua ante oculos meos est: et complacui in veritate tua.

Non sedi in consilio vanitatis: et cum iniqua gerentibus non introibo.

Odivi ecclesiam malignantium: et cum impiis non sedebo.

Lavabo inter innocentes manus meas: et circumdabo altare tuum, Domine.

Ut audiam vocem laudis tuae: ut ennarrem universa mirabilia tua.

Domine, dilexi decorem domus tuae: et locum habitationis gloriae tuae.

Ne perdideris cum impiis animam meam: et cum viris sanguinum vitam meam.

In quorum manibus iniquitates sunt: et dextera eorum repleta est muneribus.

11. Redime me: W M *om.* me. — 29. viris: *corr. ex* viri.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum: libera me, et miserere mei.

Pes meus stetit in via recta: in ecclesiis benedicam te, Domine. *)

PSALMUS DAVID XXVI.

12. ‡ Dominus inluminatio mea: et salus mea quem timebo.

Dominus protector vitae meae: a quo trepidabo?

Dum adpropiant ad me nocentes: ut edant carnes meas.

Qui tribulant me inimici mei: ipsi infirmati sunt et ceciderunt.

Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: et si insurgant in me praelia, in hoc ego sperabo.

Unam petii a Domino, hanc requiram: ut inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitae meae.

Ut videam voluntatem Domini: et ut visitatem templum eius.

Quoniam abscondit me in tabernaculo suo: in die malorum meorum.

Protexit me in abscondito tabernaculi sui: in petra exaltavit me.

Et nunc ecce exaltavit caput meum: super inimicos meos.

Circuivi et immolavi in tabernaculo eius hostiam iubilationis: cantabo et psalmum dicam Domino.

Exaudi, Domine, vocem meam qua clamavi: miserere mei et exaudi me.

Tibi dixit cor meum, Dominum requiram: exquisivit te vultus meus; vultum tuum, Domine, requiram.

Ne avertas fatiem tuam a me: et ne declines in ira a servo tuo.

Adiutor meus esto, neque derelinquas me: neque despicias me, Deus salutaris meus.

4. *) *In margine al. ma.:* « Deus Deus meus respice in me *(ant. noct. II., fer. III, hebd. I)* Adiutor meus » *ant. noct. III. eiusd. fer.* — 13. praelia: praelium. M. — 20. in abscondito: *1. ma. supplet. in marg.* — 31. esto: esto Deus. W. M. — neque derelinquas: ne derelinquas. W. M.

Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me.

Legem mihi constitue, Domine, in via tua: et dirige me in semita recta, propter inimicos meos.

Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam insurrexerunt in me testes iniqui; et mentita est iniquitas sibi.

Credo videre bona Domini: in terra viventium.

Sustine Dominum, viriliter age: et confortetur cor tuum, et expecta Dominum.

PSALMUS DAVID XXVII.

Ad te, Domine, clamabo: Deus meus, ne sileas a me.

Ne umquam sileas a me: et ero similis descendentibus in lacum.

Exaudi, Domine, vocem deprecationis meae: dum oro ad te.

Dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum: ne simul tradas me cum peccatoribus, et cum operantibus * iniquitatem ne perdas me. f. 12r

Cum his qui loquuntur pacem cum proximo suo: mala autem in cordibus eorum.

Da illis secundum opera ipsorum, Domine: et secundum nequitiam studiorum ipsorum.

Et secundum opera manuum eorum tribue illis: redde retributionem eorum ipsis.

Quoniam non intellexerunt opera Domini: et in opera manuum eius destrue illos; nec aedificabis eos.

Benedictus Dominus: quoniam exaudivit vocem deprecationis meae.

Dominus adiutor meus et protector meus: et in ipso speravit cor meum, et adiutum est.

Et refloruit caro mea: et ex voluntate mea confitebor illi.

3. Legem: *corr. ex* Regem, *cum* W. M. — 18. perdas: perdideris. W. M. — 19. proximo suo: proximis suis. W. M. — 30. adiutum est: adiutus sum. M.

Dominus fortitudo plebis suae: et protector salutarium Christi sui est.

Salva plebem tuam, et benedic hereditatem tuam: et rege eos, et extolle illos usque in aeternum.

PSALMUS DAVID XXVIII.

Afferte Domino, filii Dei: afferte Domino filios arietum.

Afferte Domino gloriam et honorem: afferte Domino gloriam nomini eius.

Adorate Dominum in atrio sancto eius, vox Domini super aquas: Deus maiestatis intonuit, Dominus super aquas multas.

Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia.

Vox Domini confringentis cedros; et confringet Dominus cedros Libani: et comminuet eos tamquam vitulus Libani; et dilectus sicut filius unicornuorum.

Vox Domini intercidentis flammam ignis; vox Domini concutientis solitudinem: et commovebit Dominus desertum Cades.

Vox Domini perficientis cervos; et revelabit condensa: et in templo eius omnes dicent gloriam.

Dominus diluvium inhabitat: et sedebit Dominus rex in aeternum.

Dominus virtutem populo suo dabit: Dominus benedicet populo suo in pace.

PSALMUS XXVIIII.

Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me: et non delectasti inimicos meos super me.

Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me; Domine, abstraxisti ab inferno animam meam: salvasti me a descendentibus in lacum.

13. Psallite Domino ‡ sancti eius: et confitemini memoriae sanctitatis eius.

19. revelabit: revelavit. M. — 24. populo suo: populo. W. — 25. PSALMUS: *suppl. in hac ed.* — 31. sancti: *corr. ex* sancto, *cum.* W. M.

Quoniam ira in furore eius: et vita in voluntate eius.

Ad vesperum demorabitur fletus: et ad matutinum laetitia.

Ego autem dixi in mea abundantia: Non movebor in aeternum.

Domine, in voluntate tua: praestitisti decori meo virtutem.

Avertisti autem faciem tuam a me: et factus sum conturbatus.

Ad te, Domine, clamabo: et ad Deum meum deprecabor.

Quae utilitas in sanguine meo: dum descendo in corruptionem.

Numquid confitebitur tibi pulvis: aut annuntiabit veritatem tuam.

Audivit Dominus et misertus est mihi: Dominus factus est adjutor meus.

Convertisti planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, et praecinxisti me laetitia.

Ut cantem tibi, gloria mea; et non compungar: Domine, Deus meus, in aeternum confitebor tibi.

PSALMUS XXX.

In te, Domine, speravi: non confundar in aeternum.

In tua iustitia libera me: et eripe me.

Inclina ad me aurem tuam: accelera ut eripias me.

Esto mihi in Deum protectorem: et in domum refugii, ut salvum me facias.

Quia fortitudo mea et refugium meum es tu: et propter nomen tuum educabis me et pasces me.

Educes me de laqueo hoc quem statuerunt mihi; quoniam tu es protector meus, Domine: in manus tuas commendo spiritum meum.

18. conscidisti: concidisti. W. M. — 22. PSALMUS: *suppl. in hac ed.*

Redemisti me, Domine, Deus veritatis: odisti observantes vanitatem supervacue.

Ego autem in Domino sperabo: exsultabo et laetabor in tua misericordia.

Quoniam respexisti humilitatem meam: salvam fecisti de necessitatibus animam meam.

Nec conclusisti me in manus inimici: statuisti in spatioso loco pedes meos.

Miserere mei, Domine, quoniam tribulor: conturbatus est in ira oculus meus, anima mea et venter meus.

Quoniam defecit in dolore vita mea: et anni mei in gemitibus.

Infirmata est in paupertate virtus mea: et ossa mea conturbata sunt.

Prae omnibus inimicis meis, factus sum obprobrium vicinis meis nimium: et timor notis meis.

Qui videbant me, foras fugiebant a me: exivi tamquam
13.' * mortuus a corde, et factus sum sicut vas perditum.

Quoniam audivi vituperationem multorum: circum habitantium.

In eo dum convenirent simul adversum me: ut acciperent animam meam consiliati sunt.

Ego autem in te, Domine, speravi: dixi: Tu es Deus meus; in manibus tuis sortes meae.

Libera me de manibus inimicorum meorum: et a persequentibus me.

Inlumina fatiem tuam super servum tuum: et salva me in tua misericordia.

Domine, non confundar: quoniam invocavi te.

Erubescant impii et deducantur in infernum; muta efficiantur labia dolosa: quae loquuntur adversus iustum iniquitatem, in superbia et abusione.

Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine: quam abscondisti timentibus te; perfecisti sperantibus in te.

7. spatioso loco: loco spatioso. W. M. — 27. salva me: salvum me fac. W. M.

In conspectu filiorum hominum abscondes eos: in abdito vultus tuis a contradictione hominum.

Proteges eos in tabernaculo tuo: a contradictione linguarum.

Benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam: in civitate circumstantiae.

Ego autem dixi in pavore meo: Proiectus sum a conspectu oculorum tuorum.

Ideo exaudisti, Domine, vocem orationis meae: in eo dum clamarem ad te.

Diligite Dominum, omnes sancti eius: quoniam veritatem requiret Dominus, et retribuet his qui abundanter fatiunt superbiam.

Viriliter agite et confortetur cor vestrum: omnes qui speratis in Domino. *)

PSALMUS DAVID XXXI.

Beati quorum remissae sunt iniquitates: et quorum tecta sunt peccata:

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum: nec est in ore eius dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea: dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte gravata est: super me manus tua.

Conversus sum in aerumna: dum confringitur mihi spina.

Delictum meum cognitum tibi feci: et iniustitias meas non abscondi.

Dixi, eloquar adversum me iniustitiam meam Domino: et tu remisisti impietatem cordis mei.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus: in tempore opportuno.

15. *In margine al. ma.:* « Adiutor meus esto Deus, ne derelinquas me (*ant. noct. III, fer. III, hebd. I*) Sperantes in Domino » *ant. noct. I, fer. IV, hebd. I.* — 25. iniustitias meas: iniustitiam meam. W. M.

f. 14. Verumtamen in diluvio aquarum: ad illum non † adproximabunt.

Tu es mihi refugium a tribulatione: quae circumdedit me.

Exultatio mea libera me: a circumdantibus me.

Intellectum dabo tibi et instruam te: in via hac qua egredieris firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus et mulus: in quibus non est intellectus.

In freno et camo maxillas eorum constringe: qui non aproximant ad te.

Multa flagella peccatorum: sperantes autem in Domino misericordia circumdabit.

Laetamini in Domino et exultate iusti: et gloriamini omnes recti corde.

PSALMUS DAVID XXXII.

Gaudete, iusti, in Domino: rectos decet conlaudatio.

Confitemini Domino in cithara: in psalterio decem chordarum psallite ei.

Cantate ei canticum novum: bene psallite ei in iubilatione.

Quia rectum est verbum Domini: et omnia opera eius in fide.

Diligit misericordiam et iudicium Dominus: misericordia Domini plena est terra.

Verbo Domini caeli firmati sunt: spiritu oris eius omnis virtus eorum.

Congregans sicut in utre aquas maris: ponens in thesauris abyssos.

Timeat Dominum omnis terra: ad ipso autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.

Quoniam ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt.

1. aquarum: aquarum multarum W. M. — 25. Spiritu: et Spiritu. W. M.

Dominus dissipavit consilia gentium: reprobat autem consilia populorum, spernit consilia principium.

Consilium autem Domini manet in aeternum: cogitationes cordis eius a generatione et progenie.

Beata gens cuius est Dominus Deus eorum: populus quem elegit in hereditatem sibi.

De caelo respexit Dominus: vidit omnes filios hominum.

De praeparato habitaculo suo: respexit super omnes qui inhabitant terram.

Qui fingit singillatim corda eorum: qui intelligit omnia opera eorum.

Non salvatur rex per multitudinem virtutis: et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suae.

Falsus equus ad salutem: in abundantia autem virtutis suae non salvabitur.

Ecce oculi Domini super timentes eum: et in eis qui sperant super misericordia eius.

Et eripiat de morte animas eorum: et alat eos in fame.

Quia anima nostra sustinet Dominum: ‡ quoniam adiutor f. 14
et protector noster est.

Quia in ipso laetabitur cor nostrum: et in nomine sancto eius speravimus.

Fiat, Domine, misericordia tua super nos: sicut speravimus in te.

PSALMUS XXXIII.

Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo.

In Domino laudabitur anima mea: audiant mansueti et laetentur.

Magnificate Dominum mecum: et exaltemus nomen eius in invicem.

7. vidit: et vidit. W. M. — 12. virtutis: virtutis suae W. M. — 17. sperant: *corr. ex* sperat. — 18. Et eripiat: Eripere. W. M. — 23. tua: *suppl. 1 ma. sup. lin.* — 25. PSALMUS *suppl. in hac ed.* — 30. exaltemus: *corr. ex* exaltentur *2 ma.*

Inquisivi Dominum, et exaudivit me: et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Accedite ad eum et inluminamini: et vultus vestri non erubescent.

Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum: et ex omnibus tribulationibus eius liberavit eum.

Inmittet angelus Domini in circuitu timentium eum: et eripiet eos.

Gustate et videte quoniam suavis est Dominus: beatus vir qui sperat in eum.

Timete Dominum, omnes sancti eius: quoniam nihil deest timentibus eum.

Divites eguerunt et esurierunt: inquirentes autem Dominum non defitient omni bono.

Venite, filii, audite me: timorem Domini docebo vos.

Quis est homo qui vult vitam: et cupit videre dies bonos:

Cohibe linguam tuam a malo: et labia tua ne loquantur dolum.

Declina a malo et fac bonum: inquire pacem et sequere eam.

Oculi Domini super iustos: et aures eius in preces eorum.

Vultus autem Domini super fatientes mala: ut perdat de terra memoriam eorum.

Clamavarunt iusti et Dominus exaudivit eos: et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

Iusta est Dominus his qui tribulato sunt corde: et humiles spiritu salvabit.

Multae tribulationes iustorum; et de omnibus his liberavit eos Dominus.

Custodit Dominus omnia ossa eorum: unum ex his non conteretur.

3. ad eum: *al. ma. supp. litur.* — 7. angelus: *corr. in hac ed. ex* angelum.

Mors peccatorum pessima: et qui oderunt iustum, delinquent.

Redimet Dominus animas servorum suorum: et non delinquent omnes qui sperant in eo.

PSALMUS XXXIV. *)

Iudica, Domine, nocentes me: et expugna impugnantes me.

Apprehende arma et scutum: et exurge in adiutorium mihi.

Effunde frameam et conclude: adversus eos qui me persequuntur.

Dic animae meae, Domine: Salus tua ego sum.

Confundantur et revereantur: omnes qui quaerunt animam meam.

Avertantur retrorsum et confundantur: qui cogitant mihi mala.

Fiant tamquam pulvis ante fatiem venti: et angelus Domini ‡ affligens eos. f. 15.

Fiant viae eorum tenebrae, et lubricum: et angelus Domini persequens eos.

Quoniam gratis absconderunt mihi in interitum laquei sui: vane exprobraverunt animam meam.

Veniat illis laqueus quem ignorant; et captio, quam occultaverunt, apprehendat eos: et in laqueum incidant in ipso.

Anima autem mea exultavit in Domino: et delectabitur super salutare eius.

Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi?

Eripiens inopem de manu fortioris eius: egenum et pauperem a diripientibus eum.

*) *In margine al ma.*: « Sperantes in Domino misericordia circumdabit (*ant. noct. I fer. IV hebd I*). Dic animae meae » *ant. noct. II ejusdem feriae.* — 3. PSALMUS *suppl. in hac ed.* — 10. Domine: *om* W. M. — 15. fatiem: *supp. al. ma. sup. lin.* — 19. in interitum: interitum. W. M. — 23. ipso: ipsum. W. M.

Assurgentes testes iniqui: quem ignorabam, interrogabant me.

Retribuebant mihi mala pro bonis: sterilitatem animae meae.

Ego autem, dum mihi molesti essent, induebam me cilitium; et humiliabam in ieiunio animam meam: et oratio mea in sinu meum confortetur.

Sicut proximum et sicut fratrem nostrum, ita complangebam: tamquam lugens, et contristatus sic humiliabar.

Adversum me laetati sunt et convenerunt: congregati sunt in me flagella, et ignoraverunt.

Dissoluti sunt, nec compuncti sunt: temptaverunt me et deriserunt me derisu.

Striderunt in me dentibus suis: Domine, quando respities.

Restitue animam meam a malefactis eorum: libera a leonibus unicam meam.

Confitebor tibi, Domine, in ecclesia magna: in populo gravi laudabo te.

Non insultent in me qui adversantur mihi inique: qui oderunt me gratis, et annuebant oculis.

Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur: et super iram dolose cogitabant.

Dilataverunt in me os suum: dixerunt Euge, euge, viderunt oculi nostri.

Vidisti, Domine, ne sileas: Domine, ne discedas a me.

Exurge, Domine, intende iudicium meum: Deus meus et Dominus meus in causam meam.

Iudica me, Domine, secundum iustitiam tuam: Domine Deus meus, non insultent in me inimici mei.

Non dicant in cordibus suis, Euge, euge, animae nostrae: nec dicant, Absorbuimus eum.

Erubescant et revereantur simul qui gratulantur malis

1. quem: que. W. M. — 7. sinu: sinum. W. M. — confortetur: convertetur. W. M.

meis; induantur pudore et reverentia: qui magna locuntur super me.

Exultent et laetentur qui volunt iustitiam meam; et dicant semper Magnificetur Dominus: qui volunt pacem servi eius.

Et lingua mea meditabitur iustitiam tuam: tota die laudem tuam.

PSALMUS XXXV. ⁑ f. 15

Dixit iniustus ut delinquat sibi: Non est timor Dei ante oculos eius.

Quoniam dolose egit in conspectu eius: ut inveniatur iniquitas et odium.

Verba oris eius iniquitas et dolus: noluit intelligere ut bene ageret.

Iniquitatem meditatus est in cubili suo; astitit omni viae non bonae, malitiam autem non odivit.

Domine, in caelo misericordia tua: et veritas tua usque ad nubes.

Iustitia tua sicut montes Dei: iudicia tua abyssus multa.

Homines et iumenta salvos faties, Domine: quam multiplicasti misericordiam tuam, Deus.

Filii autem hominum: in protectione alarum tuarum sperabunt.

Inebriabuntur ab ubertate domus tuae: et torrente voluntatis tuae potabis illos.

Quoniam apud te est fons vitae: et in lumine tuo videbimus lumen.

Praetende misericordiam tuam scientibus te: et iustitiam tuam his qui recto sunt corde.

Non veniat mihi pes superbiae: et manus peccatoris non moveat me.

Ibi ceciderunt omnes, qui operantur iniquitatem: expulsi sunt, nec potuerunt stare.

12. iniquitas: iniquitas eius. W. M. — 24. voluntatis: voluptatis. W. M.

PSALMUS DAVID XXXVI.

Noli aemulari inter malignantes: neque aemulatus fueris fatientes iniquitatem.

Quoniam tamquam foenum velociter arescent: et sicut holera herbarum cito decident.

Spera in Domino et fac bonitatem: et inhabita terram, et pasceris in diviciis eius.

Delectare in Domino: et dabit tibi petitiones cordis tui.

Revela Domino viam tuam, et spera in eum: et ipse fatiet.

Et educet sicut lumen iustitiam tuam: et iudicium tuum sicut meridiem.

Subditus esto Domino et obsecra eum; ne aemulatus fueris eum qui prosperatur in via sua: in homine fatiente iniquitatem.

Desine ab ira et derelinque furorem: ne aemuleris ut nequiter fatias.

Quoniam qui nequiter agunt, exterminabuntur: nam qui expectant Dominum, ipsi hereditatem possidebunt terram.

Et adhuc pusillum, et non erit peccator: et quaeres locum eius et non invenies.

Mansueti autem possidebunt terram: et delectabuntur in multitudine pacis.

16. Observabit ‡ peccator iustum: et fremet super eum dentibus suis.

Dominus autem irridebit eum: quoniam prospicit quod veniet dies eius.

Gladium evaginaverunt peccatores, et intenderunt arcum suum, ut deiciant inopem et pauperem: ut trucident rectos corde.

Framea eorum intret in cor ipsorum: et arcus eorum confringatur.

9. Domino: *1ª ma.* a Domino. — 19. hereditatem possidebunt: hereditabunt. M. — 28. et: *om.* W. M.

Melius est modicum iusto: super divitias peccatorum multas.

Quoniam brachia peccatorum conterentur: confirmat autem iustos Dominus.

Novit Dominus vias inmaculatorum: et hereditas eorum in aeternum erit.

Non confundentur in tempore malo: et in diebus famis saturabuntur.

Quoniam peccatores peribunt; inimici autem Domini statim ut honorabuntur et exaltabuntur: deficientes sicut fumus deficient.

Mutuatur peccator et non solvit: iustus autem miseretur et tribuet.

Quoniam benedicentes eum hereditabunt terram: maledicentes autem illum disperient.

Apud Dominum gressus hominis dirigetur: et viam eius cupiet valde.

Cum ceciderit iustus, non conturbabitur: quoniam Dominus firmat manum eius.

Iunior fui et senui, et non vidi iustum derelictum: nec semen eius quaerens panem.

Tota die miseretur et commodat iustus: et semen eius in benedictione erit.

Declina a malo et fac bonum: et inhabita in saecula saeculorum.

Quoniam Dominus amat iudicium, et non derelinquet sanctos suos: quoniam in aeternum conservabuntur.

Iniusti autem punientur: et semen impiorum peribit.

Iusti hereditatem possidebunt terram: et inhabita in saecula saeculorum super eam.

Os iusti meditabitur sapientiam: et lingua eius loquetur iudicium.

Lex Dei eius in corde ipsius: et non supplantabuntur gressus eius.

1. super: quam super. W. M. — 13 tribuet: retribuet. W. M. — 29. hereditatem: hereditate. M. — inhabita: inhabitabunt. W. M.

Considerat peccator iustum: et quaerit occidere eum.

Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius: nec condempnabit eum, cum iudicabitur illi.

Sustine Dominum et custodi vias eius: et exaltabit te ut heredites terram.

In eo dum pereunt peccatores, videbis: vidi impium superexaltatum et elevatum super cedros Libani.

Transivi, et ecce non erat: inquisivi eum, et non est inventus locus eius.

6.' Custodi innocentiam, et vide ‡ aequitatem: quoniam sunt reliquiae homini pacifico.

Iniusti autem disperibunt: simul reliquiae impiorum peribunt.

Salus autem iustorum a Domino: et protector eorum est in tempore tribulationis.

Et adiuvabit eos Dominus et liberabit eos: et eripiet eos a peccatoribus et salvos fatiet eos: quoniam speraverunt in eum. *)

PSALMUS XXXVII.

Domine, ne in ira tua arguas me: neque in furore tuo corripias me.

Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi: et confirmasti super me manum tuam.

Nec est sanitas in carne mea, a vultu irae tuae: et non est pax ossibus meis, a facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meae superposuerunt caput meum: et sicut onus grave gravatae sunt super me.

Computuerunt et putrierunt livores mei: a fatie insipientiae meae.

Miseriis afflictus sum et curvatus sum usque in finem valde.

12. simul: simul et. M. — 16. adiuvabit: adiuvavit. W. M. — liberabit: liberavit. W. M. — *) *In marg. al. ma.:* « Dic animae meae, Domine: salus tua ego sum. (*ant. noct, II, fer. IV, hebd. I*): Intende in adiutorium » *ant. noct. III seg.*

Tota die contristatus ingrediebar, quoniam anima mea completa est illusionibus: et non est sanitas in carne mea.

Incurvatus sum et humiliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne desiderium meum: et gemitus meus non est absconditus a te.

Cor meum conturbatum est in me; et dereliquit me virtus mea: et lumen oculorum meorum non est mecum.

Amici mei et proximi mei adversum me appropiaverunt, et steterunt: et proximi mei a longe steterunt.

Et vim faciebant, qui quaerebant animam meam; et qui inquirebant mihi locuti sunt vanitates: et dolos tota die meditabantur.

Ego autem velut surdus non audiebam: et sicut mutus qui non aperit os suum.

Factus sicut homo non audiens: et non habens in ore suo increpationes.

Quoniam in te, Domine, speravi: tu exaudies, Domine Deus meus.

Quoniam dixi: Ne aliquando insultent in me inimici mei; et dum commoverentur pedes mei: super me magna locuti sunt.

Quoniam ego ad flagella paratus sum: et dolor meus ante me est semper.

Quoniam iniquitatem meam ego pronuntio: et cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me: et multiplicati sunt, qui me oderunt inique.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: quia subsequebar iustitiam.

⁎ Ne derelinquas me, Domine Deus meus: ne discesseris a me. f. 17

Intende in adiutorium meum, Domine: Deus salutis meae.

12. mihi: mala mihi. W. M. — 16. Factus: Factus sum. W. M. — 28. et *om.* W. M.

PSALMUS XXXVIII.

Dixi: Custodiam vias meas: ut non delinquam in lingua mea.

Posui ori meo custodiam: dum consistit peccator adversum me.

Obmutui et humiliatus sum et silui a bonis: et dolor meus renovatus est.

Concaluit cor meum intra me: et in meditatione mea exardescit ignis.

Locutus sum in lingua mea: Notum mihi fac, Domine, finem meum: et numerum dierum meorum: quis est, ut sciam quid descit mihi.

Ecce veteres posuisti dies meos: et substantia mea ante te est.

Verumtamen universa vanitas: omnis homo vivens.

Quamquam in imagine Dei transeat homo: tamen vane conturbatur.

Thesaurizat et ignorat cui congregabit ea; et nunc quae est expectatio mea? nonne Dominus, et substantia mea ante te est.

Ab omnibus iniquitatibus meis eripe me: obprobrium insipienti dedisti me.

Obmutui et non aperui os meum: quoniam tu fecisti.

Amove a me plagas tuas: a fortitudine enim manus tuae ego defeci.

In increpationibus super iniquitatem erudisti hominem: et tabescere fecisti sicut araneam animam eius.

Verumtamen vane conturbatur omnis homo, exaudi orationem meam, Domine: et deprecationem meam auribus percipe.

Lacrimis meis ne sileas, quia incola ego sum apud te: et peregrinus sicut omnes patres mei.

1. PSALMUS: *suppl. in hac ed.* — 12. quid descit: qui descit. W. M. — 13. et substantia mea: et substantia mea, tamquam nihil. W. M. — 16. in imagine: imaginem. W. M. — 27. et: *om.* W. M.

Remitte mihi ut refrigerer, prius quam abeam: et amplius iam non ero.

PSALMUS XXXVIIII.

Exspectans exspectavi Dominum; et respexit me: et exaudivit deprecationem meam.

Et eduxit me de lacu miseriae: et de luto faecis.

Statuit supra petram pedes meos: et direxit gressus meos.

Et misit in os meum canticum novum: hymnum Deo nostro.

Videbunt multi et timebunt: et sperabunt in Domino.

Beatus vir, cuius est nomen Domini spes ipsius: et non respexit in vanitates et insanias falsas.

Multa fecisti tu, Domine Deus mirabilia tua: et cogitationibus tuis non est quis similis sit tibi.

Annunciavi et locutus sum: multiplicati sunt super numerum.

‡ Sacrificium et oblationem noluisti; corpus autem per- f. 17
fecisti mihi.

Holocausta et pro delicto non postulasti; tunc dixi, Ecce venio: in capite libri scriptum est de me.

Ut fatiam voluntatem tuam, Deus meus, volui: et legem tuam in medio ventris mei.

Bene annuntiavi iustitiam tuam in ecclesia magna: ecce labia mea non prohibebo; Domine, tu cognovisti.

Iustitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam et salutare tuum dixi.

Non celavi misericordiam tuam et veritatem tuam: a synagoga multorum.

Tu autem, Domine, ne e longe fatias misericordias tuas a me: misericordia tua et veritas tua semper suscipiant me.

Quoniam circumdederunt me mala quorum non est

1. abeam: *corr. ex* habeam. — 12. et non: non. W. M.

numerus; comprehenderunt me iniquitates meae: et non potui ut viderem.

Multiplicati sunt super capillos capitis mei: et cor meum dereliquit me.

Complaceat tibi, Domine, ut eripias me: Domine, in auxilium meum respice.

Confundantur et revereantur simul qui quaerunt animam meam: ut auferant eam.

Avertantur retrorsum: et confundantur qui volunt mihi mala.

Ferant confestim confusione sua: qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exsultent et laetentur in te omnes qui quaerunt te, Domine: et dicant semper, Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego autem egenus et pauper sum: Dominus curam habet mei.

Adiutor meus et protector meus es tu: Domine Deus meus, ne tardaveris.

PSALMUS DAVID XXXX.

Beatus qui intelligit super egenum et pauperem: in die mala liberavit eum Dominus.

Dominus conservet eum et vivificet eum: et beatum fatiat eum super terram.

Et non tradat eum in manibus inimicorum eius; Dominus adiuvet eum super lectum doloris eius: universum stratum eius versasti in infirmitate eius.

Ego dixi, Domine, miserere mei: sana animam meam, quoniam peccavi tibi.

‡ Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur et
18. periet nomen eius?

Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur: cor eius congregabit iniquitatem sibi.

11. confusione sua: confusionem suam. W. M. — 30 quoniam: quia. W. M.

Et egrediebatur foras et loquebatur in invicem; adversum me susurrabant omnes inimici mei: adversum me cogitabant mala mihi.

Verbum iniquum statuerunt adversum me: numquid qui dormit, non adiiciat ut resurgat?

Etenim homo pacis meae, in quem speravi: qui edebat panes meos adampliavit adversum me supplantationem.

Tu autem, Domine, miserere mei: et resuscita me et retribuam illis.

In hoc cognovi quoniam voluisti me: quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

Me autem propter innocentiam meam suscepisti me: et confirmasti me in conspectu tuo in aeternum.

Benedictus Dominus Deus Israel: a saeculo et in saeculum; fiat, fiat. *)

PSALMUS IN FINEM IPSI DAVID XLI.

Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea, Deus.

Sitivit anima mea ad Deum vivum: quando veniam et parebo ante faciem Dei?

Fuerunt mihi lacrimae meae panes die ac nocte: dum dicitur mihi cottidie, Ubi est, Deus tuus?

Haec memoratus sum et effudi in me animam meam; quoniam ingrediar in locum tabernaculi admirabilis: usque ad domum Dei.

In voce exultationis et confessionis: sonus epulantis.

Quare tristis es, anima mea: et quare conturbas me?

Spera in Deum, quoniam confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus.

Ad me ipsum anima mea turbata est; propterea me-

5. adiiciat: adiitiet. W. M. — *) *In marg. al. ma.:* « Intende in adiutorium meum, Domine, Deus salutis meae (*ant. noct. III, fer. IV hebd I.* — 16. PSALMUS *suppl. in hac edit.:* IN FINEM etc *sic.* — 18. Deus: ad te, Deus. W. M.

mor ero tui, Domine, de terra Iordanis: et Hermoni, a monte modico.

Abyssus abyssum invocat: in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua: et fluctus tui super me transierunt.

In die mandavit Dominus misericordiam suam: et nocte canticum eius apud me.

Apud me oratio Deo vitae meae; dicam Deo, Susceptor meus es: quare me oblitus es?

Quare tristis incedo, dum affligit me inimicus? dum confringuntur ossa mea; et exprobraverunt me inimici mei.

Dum ipsi dicerent mihi per singulos dies: Ubi est Deus tuus?

18.' ‡ Quare tristis es, anima mea: et quare conturbas me?

Spera in Deum, quoniam confitebor illi: salutare vultus mei et Deus meus. *)

PSALMUS DAVID XLII.

Judica me, Deus; et discerne causam meam: de gente non sancta.

Ab homine iniquo et doloso: eripe me.

Quia tu Deus, fortitudo mea: quare me reppulisti?

Quare tristis incedo, dum affligit me inimicus? emitte lucem tuam et veritatem tuam; ipsa me deduxerunt et adduxerunt in monte sancto tuo: et in tabernacula tua.

Introibo ad altare Dei: ad Deum qui laetificat iuventutem meam.

Confitebor tibi in cythara, Deus, Deus meus: quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?

Spera in Deum, quoniam confitebor illi: salutare vultus mei et Deus meus.

PSALMUS XLIII.

Deus, auribus nostris audivimus: patres nostri annuntiaverunt nobis.

23. monte sancto tuo: montem sanctum tuum. W. M. — 31. patres: et patres. W. M.

Opus quod operatus es in diebus eorum: in diebus antiquis.

Manus tua gentes disperdidit et plantasti eos: afflixisti populos et expulisti eos.

Non enim in gladio suo possidebunt terram: et brachium ipsorum non liberavit eos.

Sed dextera tua et brachium tuum, et inluminatio vultus tui: quoniam complacuisti in eis.

Tu es ipse rex meus, et Deus meus: qui mandas salutem Iacob.

In te inimicos nostros ventilabimus: et in nomine tuo spernemus insurgentes in nos.

Non enim in arcu meo sperabo: et gladius meus non fatiet me salvum.

Liberasti enim nos ex affligentibus nos: et eos, qui oderunt nos, confudisti.

In Deo laudabimur tota die: et in nomine tuo confitebimur in saecula.

Nunc autem repulisti et confudisti nos: et egredieris in virtutibus nostris.

Avertisti nos retrorsum prae inimicis nostris: et qui oderunt nos, diripiebant sibi.

Dedisti nos tamquam oves escarum: et in nationibus dispersisti nos.

Vendidisti populum tuum sine pretio: et non fuit multitudo in commutationibus nostris.

Posuisti nos in obprobrium vicinis nostris: inlusionem et derisum, his qui sunt in circuitu nostro.

Posuisti nos in similitudinem gentibus: commotionem capitis in plebibus.

Tota die verecundia mea contra me est: et confusio vultus mei operuit me.

A voce exprobrantis et obloquentis: a fatie inimici et persequentis.

6. liberavit: liberabit. W. M. — 9. Tu es . . . in nos: *suppl. 1. ma. inter lin.* — 19. egredieris: non egredieris. W. M.

f. 19. Haec omnia ⁑ venerunt super nos: et nos non obliti sumus te; et inique non egimus in testamento tuo: et non recessit retro cor nostrum.

Et declinasti semitas nostras a via tua; quoniam humiliasti nos in loco afflictionis: et operuit nos umbra mortis.

Si obliti sumus nomen Dei nostri: et si expandimus manus nostras ad Deum alienum.

Nonne Deus requiret ista? ipse enim novit occulta cordis.

Quoniam propter te morti affligimur tota die: extimati sumus ut oves occisionis.

Exurge, quare obdormis, Domine: exurge et ne repellas nos usque in finem.

Quare fatiem tuam avertis? oblivisceris inopiae nostrae: et tribulationis nostrae.

Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra: haesit in terra venter noster.

Exsurge, Domine, adiuva nos: et libera nos propter nomen tuum. *)

PSALMUS DAVID XLIIII.

Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi.

Lingua mea calamus scribae: velociter scribentis.

Spetiosus forma prae filiis hominum; diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in aeternum.

Accingere gladium tuum circa femur, Potentissime: spetiem tuam et pulchritudinem tuam intende, prospera et regna.

Propter veritatem et mansuetudinem: et deducet te mirabiliter dextera tua.

5. umbra: *corr. ex* imbre. — 10. morti : morte. W. M. — extimati : aestimati W. M. — *) *In marg. al. ma.* « Desiderat anima mea ad te Deus (*ant. noct. I fer. V. hebd. I*) Sedes tua » *ant. noct. seq.* — 29. et deducet: et iustitiam deducet. W. M.

Sagittae tuae acutae, potentissimae: populi sub te cadent in corde inimicorum regis.

Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi: virga recta est virga regni tui.

Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus: oleo laetitiae prae consortibus tuis.

Myrrha, gutta et casia a vestimentis tuis: a gradibus eburneis, ex quibus te delectaverunt.

Filiae regum in honore tuo; astitit regina a dextris tuis: in vestitu deaurato, circum amicta varietate.

Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam; et obliviscere populum tuum: et domum patris tui.

Quoniam concupivit rex speciem tuam: quia ipse est Dominus Deus tuus.

Et adorabunt eum filiae Tyri in muneribus: vultum tuum deprecabuntur divites plebis.

Omnis gloria eius filiae regis ab intus in fimbriis aureis; circum amicta varietate.

Afferentur ⁎ regi virgines postea proximae eius; af- f. 19
ferentur tibi in laetitia: et exultatione adducentur in templum regis.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos principes super omnem terram.

Memores erunt nominis tui, Domine: in omni generatione et progenie.

Propterea populi confitebuntur tibi in aeternum: et in saeculum saeculi.

PSALMUS XLV.

Deus noster refugium et virtus: adiutor in tribulationibus quae invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus, dum conturbabitur terra: et transferentur montes in cor maris.

9. honore: *i ma. corr. ex* ore. — 19. postea: post eam. M.; W. i *ma.*: posteam, *sed abrasa* m. — 28. PSALMUS: *suppl. in hac ed.*

Sonuerunt et turbatae sunt aquae eorum: turbati sunt montes a fortitudine eius.

Fluminis impetus laetificat civitatem Dei: sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Deus in medio eius non commovebitur: adiuvabit eam Deus a matutino in matutinum.

Conturbatae sunt gentes, et inclinata sunt regna: dedit vocem suam et mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Iacob.

Venite et videte opera Dei; quae posuit prodigia super terram: auferens bella usque ad fines terrae.

Arcum conteret et confringet arma: et scuta comburet igni.

Vacate et videte quoniam ego sum Deus: exaltabor inter gentes, et exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Iacob.

PSALMUS XLVI.

Omnes gentes plaudite manibus: iubilate Deo in voce exultationis.

Quoniam Dominus excelsus, terribilis: et rex magnus super omnem terram.

Subiecit populos nobis: et gentes sub pedibus nostris.

Elegit nos hereditatem suam: speties Iacob quam dilexit.

Ascendit Deus in iubilatione: et Dominus in voce tubae.

Psallite Deo nostro, psallite: psallite regi nostro, psallite.

Quoniam rex omnis terrae Deus: psallite sapienter.

Regnabit Dominus super omnes gentes: Deus sedet super sedem sanctam suam.

Principes populi convenerunt cum Deo Abraham: quoniam dii fortes terrae ninium elevati sunt.

7. inclinata: *corr. ex* inclinate. — 8. suam: suam Altissimus. W. — 19. PSALMUS: *suppl. in hac ed.*

PSALMUS XLVII. *)

* Magnus Dominus et laudabilis nimis: in civitate Dei nostri, in monte sancto eius. f. 20

Dilatans exultationes universae terrae: mons Syon, latera aquilonis, civitas regis magni.

Deus in gradibus eius dinoscetur: cum suscipiet eam.

Quoniam ecce reges eius congregati sunt: et convenerunt in unum.

Ipsi videntes ita admirati sunt; conturbati sunt et commoti sunt: tremor apprehendit eos.

Ibi dolores sicut parturienti: spiritu vehementi conterens naves Tharsis.

Sicut audivimus, ita et vidimus in civitate Domini virtutum: in civitate Dei nostri, Deus fundavit eam in aeternum.

Suscepimus, Deus, misericordiam tuam: in medio plebis tuae.

Secundum nomen tuum, Deus: ita et laus tua in fines terrae.

Iustitia plena est dextera tua, laetetur mons Sion, et exultaverunt filiae Judae: propter iudicia tua, Domine.

Circumdate Syon et complectimini eam: narrate in turribus eius.

Ponite corda vestra in virtute eius, et distribuite gradus eius: ut enarretis in progenie altera.

Quoniam hic est Deus noster in aeternum, et in saeculum saeculi: et ipse reget nos in saecula.

PSALMUS XLVIII.

Audite haec omnes gentes: auribus percipite omnes qui habitatis orbem.

1. PSALMUS *suppl. in hac ed.* — *) *In marg. al. ma.:* « Sedes tua, Deus in saeculum saeculi (*ant. noct. II fer. V. hebd. I.*) Magnus Dominus » *ant. noct. III seq.* — 9. conturbati sunt: *om. W.* — 11. Ibi: Ipsi. W. — parturienti: parturientes. W: parturientis. M. — 27. PSALMUS *suppl. in hac ed.*

Quique terrigenae et filii hominum: simul in unum dives et pauper.

Os meum loquetur sapientiam: et meditatio cordis mei prudentiam.

Inclinabo ad similitudinem aurem meam: aperiam in psalterio propositionem meam.

Ut quid timebo in die mala: iniquitas calcanei mei circumdabit me.

Qui confidunt in virtute sua: et in abundantia divitiarum suarum gloriantur.

Frater non redimit, redimet homo? non dabit Deo repropitiationem suam: et pretium redemptionis animae suae.

Laboravit in aeternum et vivet in finem: non videbit interitum cum videbit sapientes morientes.

Simul insipiens et stultus peribunt: et relinquent alieni divitias suas.

20.' ‡ Sepulchra eorum domus eorum in aeternum: tabernacula eorum in generatione et progenie.

Invocaverunt nomina eorum in terris ipsorum; et homo, in honore cum esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus; et similis factus est illis.

Haec via eorum scandalum ipsis: et postea in ore suo bene prosperabuntur.

Sicut oves in inferno mors depascet eos: et dominabuntur super eos, qui recto sunt corde a matutino.

Et auxilium eorum veterascet in inferno: et a gloria sua expulsi sunt.

Verumtamen Deus liberabit animam meam de manu inferi: cum acceperit me.

Ne timueris, cum dives factus fuerit homo: aut cum multiplicata fuerit gloria domus eius.

1. et: *om.* W. M. — 14. interitum: in aeternum. W.; M. interitum. *al. ma. in ras.* — videbit: viderit. W. M. — 15. alieni: alienis. W. M. — 24. in inferno: in inferno positae. W. M. — 26. veterascet: *corr. ex* veterescet; veterascent M. *ut 1 ma. etiam* W, *sed abr.* n; — 28. meam: eius. W; meam eius. (*sic*) M. — 30. factus: *bis in fine lin. et init. seq.*

Quoniam non dum morietur recipiet omnia: neque simul descendet cum eo gloria domus eius.

Quoniam anima eius in vita ipsius benedicetur: confitebitur tibi cum benedixęris ipsis.

Introibit usque in progenies patrum eius: et usque in aeternum non videbit lumen.

Et homo, in honore cum esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis.

PSALMUS XLVIIII.

Deus deorum, Dominus locutus est: et vocavit terram.

A solis ortu usque ad occasum: ex Syon speties decoris eius.

Deus manifeste veniet: Deus noster et non silebit.

Ignis in conspectu eius ardebit: et in circuitu eius tempestas valida.

Advocavit caelum sursum et terram: ut discerneret populum suum.

Congregate illi sanctos eius: qui ordinant testamentum eius super sacrifitia.

Et annuntiabunt caeli iustitiam eius: quoniam Deus iudex est.

Audi, populus meus, et loquar, Israel: et testificabor tibi.

Deus, Deus tuus sum ego: et non super sacrificia tua arguam te.

Holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper: non accipiam de domo tua vitulos: neque de gregibus tuis hyrcos.

Quoniam meae sunt omnes ferae silvarum: iumenta in montibus et boves.

Cognovi omnia volatilia caeli; et speties agri mecum est.

Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terrae et pleni- ‡ -tudo eius. f. 21.

27. non: et non. W. M.

Numquid manducabo carnes taurorum: aut sanguinem hyrcorum potabo?

Immola Deo sacrifitium laudis: et redde Altissimo vota tua.

Invoca me in die tribulationis tuae: eripiam te, et magnificabis me.

Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras iustitias meas: et assumis testamentum meum per os tuum?

Tu vero odisti disciplinam: et proiecisti sermones meos post te.

Si videbas furem, simul currebas cum eo: et cum adulteris portionem tuam ponebas.

Os tuum abundavit nequitia: et lingua tua concinnavit dolum.

Sedens adversus fratrem tuum detrahebas: et adversus filium matris tuae ponebas scandalum.

Haec fecisti, et tacui, existimasti iniquitatem: quod ero tibi similis.

Arguam te: et statuam contra fatiem tuam peccata tua.

Intelligite haec qui obliviscimini Deum: ne quando rapiat, et non sit qui eripiat.

Sacrifitium laudis honorificavit me: et illic iter quo ostendam illi salutare Dei.

ORATIO DAVID L.

Miserere mei, Deus: secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum: dele iniquitatem meam.

Et multum lava me ab iniustitia mea: et a delicto meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego agnosco: et delictum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi et malum coram te feci: ut iustificeris in sermonibus tuis et vincas cum iudicaris.

24. ORATIO DAVID L.: *sequitur rasura.*

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: et in delictis peperit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et laetitiam: et exultabunt ossa humiliata.

Averte fatiem tuam a peccatis meis: et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus: et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne proiitias me a facie tua: et spiritum ‡ sanctum tuum f. 21
ne auferas a me.

Redde mihi laetitiam salutaris tui: et spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meae: et exaltabit lingua mea iustitiam tuam.

Domine, labia mea aperies: et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium dedissem: utique holocaustis non delectaberis.

Sacrifitium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non spernit.

Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Syon: et aedificentur muri Ierusalem.

Tunc acceptabis sacrificium iustitiae, oblationes et holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos. *)

PSALMUS IPSI DAVID LI.

Quid gloriaris in malitia: qui potens es iniquitate?

Tota die iniustitiam cogitavit lingua tua: sicut rasorium acutum fecisti dolum.

19. exaltabit: exultabit. M. — *) *in marg. al ma.* Feria V. Magnus Dominus et laudabilis nimis. (*ant. noct. III. fer. V. hebd. I*). Speravi in misericordia Dei in aeternum (*ant. noct. I. fer. VI. hebd. I.*) — 32. sicut: et sicut. W. M.

Dilexisti malitiam super benignitatem: iniquitatem magis quam loqui aequitatem.

Dilexisti omnia verba praecipitationis: et linguam dolosam.

Propterea destruet te Deus in finem evellet te, et emigret te de tabernaculo tuo: et radicem tuam de terra viventium.

Videbunt iusti et timebunt: et super eum ridebunt et dicent.

Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum: sed speravit in multitudine divitiarum suarum: et praevaluit in vanitate sua.

Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei: speravi in misericordia Dei in aeternum.

Confitebor tibi in saeculum, quia fecisti: et expectabo nomen tuum, quoniam bonum est ante conspectum sanctorum tuorum.

LII PSALMUS DAVID.

Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus: corrupti sunt et abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis.

Non est qui fatiat bonum: non est usque ad unum :
f. 22. ‡ Deus de caelo respexit super filios hominum: ut videret si est intelligens, aut requirens Deum.

Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui fatiat bonum; non est usque ad unum.

Non est timor Dei ante oculos eorum; nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem: qui devorant plebem meam tamquam cibum panis; Deum non invocaverunt.

Ibi timebant timorem ubi non erat timor: quoniam Deus dissipavit ossa hominum sibi placentium.

Confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos; quis dabit

5. destruet: *corr. ex* dextruet. — evellet: et evellet. W. M. — 6. emigret: emigrabit. W. M. — 20. in iniquitatibus: iniquitatibus W. M. — 22. respexit: prospexit W. M. — 30. ossa: *supplet. ex aliis codd.*

ex Syon salutare Israel: in convertendo Dominus captivitatem plebis suae; exultet Jacob, et laetetur Israel.

PSALMUS LIII.

Deus in nomine tuo salvum me fac: et in virtute tua libera me.

Deus, exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt super me: et fortes quaesierunt animam meam.

Non proposuerunt Deum ante conspectum suum; ecce enim Deus adiuvat me: et Dominus susceptor est animae meae.

Averte mala inimicis meis: et in veritate tua disperde illos.

Voluntarie sacrificabo tibi: et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: et super inimicos meos respexit oculus meus.

LIV PSALMVS DAVID.

Exaudi, Deus, orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam: intende in me et exaudi me.

Contristatus sum in exercitatione mea: et conturbatus sum a voce inimici, et a tribulatione peccatoris.

Quoniam declinaverunt in me iniquitates: et in ira molesti erant mihi.

Cor meum conturbatum est in me: et formido mortis cecidit super me.

Timor et tremor venit super me: et contexerunt me tenebrae.

Et dixi, Quis dabit mihi pennas sicut columbae: et volabo et requiescam?

Ecce elongavi fugiens et ‡ mansi in solitudine: expe- f. 2
ctabam Deum qui salvaret me a pusillanimo et a tempestate.

3. PSALMUS: *suppl. in hac ed.* — 11. adiuvat: *corr. ex* adiuva. — 13. disperde: disperge W. M. — 18. LIV: *corr. ex* LV. — 21. et conturbatus: W. M. *om.* et. — 32. a tempestate: *corr. ex* aptempestate.

Praecipita, Domine, et divide linguas eorum: quoniam vidi iniquitatem et contradictionem in civitate.

Die ac nocte circumdabit eam, super muros eius iniquitas, et labor in medio eius: et iniustitia in medio eius.

Et non defecit de plateis eius: usura et dolus.

Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, subportassem utique: et si is qui oderat me super me magna locutus fuisset, absconderem me utique ab eo.

Tu vero homo unianimis, dux meus et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulavimus cum consensu.

Veniat mors super illos: et descendant in infernum viventes.

Quoniam nequitia in hospitiis eorum: in medio eorum.

Ego ad Deum clamavi, et Dominus exaudivit me: vespere, mane et meridie enarrabo et annuntiabo, et exaudiet Deus vocem meam.

Liberabit in pace animam meam ab his qui appropiant mihi: quoniam in multis erat mecum.

Exaudiet Deus et humiliabit eos: quis est ante saecula.

Non est enim illis commutatio: et non timuerunt Deum.

Extendit manum suam in retribuendo, contaminaverunt testamentum eius: divisi sunt ab ira vultus eius, et appropiavit cor eius.

Mollierunt sermones suos super oleum: et ipsi sunt iacula.

Iacta in Deum cogitatum tuum: et ipse te enutriet.

Non dabit in aeternum fluctuationem iusto: tu vero, Deus, deduces eos in puteum interitus.

Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos: ego autem, Domine, semper in te sperabo. *

3. super: et super M. — 7. is *corr. ex* his. — 8. fuisset: *corr. ex* fuissem *cum* W. et M. — 9. homo: *om.* W. — 16. enarrabo: narrabo W. M. — 19. erat: erant M. — 20. quis: qui W. M. — 22. Extendit: Extendat W. — 23. divisi: et divisi W. M. — 27. fluctuationem: fructuationem W .M. — 28. deduces: *corr. ex* deducet. — 29. dolosi: doli. W. — 30. Domine. *om.* W. — *) *In marg. al. ma.* « Speravi in misericordia Dei in aeternum (*ant. noct. I, fer. VI, hebd. I*) Miserere mei. » *ant. noct. II.*

PSALMUS LV.

Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo: tota die bellans tribulavit me.

Conculcaverunt me inimici mei tota die: ab altitudine diei non timebo.

Quoniam multi qui debellabant me ab altitudine dierum diei, non timebo: quia ego in te sperabo.

In Deo laudabo sermones meos, in Deo sperabo: non timebo quid fatiat mihi caro.

* Tota die verba mea execrabantur: adversum me f. 23. omnia consilia eorum in malum.

Inhabitabunt et abscondent: ipsi calcaneum meum observabunt.

Sicut expectaverunt animam meam pro nihilo salvos faties eos: in ira populos confringes.

Deus, vitam meam annuntiavi tibi: posuisti lacrymas meas in conspectu tuo: sicut in promissione tua.

Tunc convertentur inimici mei retrorsum; in quacumque die invocavero te: ecce agnovi, quoniam Deus meus es tu.

In Deo laudabo verbum, et in Domino laudabo sermonem: in Deo sperabo, non timebo quid fatiat mihi homo.

In me sunt, Deus, vota quae reddam laudationis tibi: quoniam eripuisti animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu.

Ut placeam coram Domino: in lumine viventium.

PSALMUS LVI.

Miserere mei, Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea.

1. PSALMUS: *suppl. in hac ed.* — 10. verba mea: *1 ma. sup. lin.* — execrabantur: *corr. ex* execrebantur. — 11. omnia: *bis in* W. — 23. laudationis: M. *2 ma. corr.* laudationes. — 27. PSALMUS: *suppl. in hac ed.*

Et in umbra alarum tuarum sperabo: donec transeat iniquitas.

Clamabo ad Deum altissimum: Deum, qui benefecit mihi.

Misit de caelo et liberavit me: dedit in obprobrium conculcantes me.

Misit Deus misericordiam suam et veritatem suam: et eripuit animam meam de medio catulorum leonum.

Dormivi conturbatus; filii hominum dentes eorum arma et sagittae: et lingua eorum machaera acuta.

Exaltare super caelos, Deus: et super omnem terram gloria tua.

Laqueum paraverunt pedibus meis: et incurvaverunt animam meam.

Foderunt ante fatiem meam foveam: et ipsi inciderunt in eam.

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: cantabo et psalmum dicam Domino.

Exurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara: exurgam diluculo.

Confitebor tibi in populis, Domine: et psallam tibi inter gentes.

Quoniam magnificata est usque ad caelos misericordia tua: et usque ad nubes veritas tua.

Exaltare super caelos, Deus: et super ‡ omnem terram gloria tua.

PSALMUS LVII.

Si vere utique iustitiam loquimini: recte iudicate, filii hominum.

Etenim in corde iniquitates operamini: in terra iniquitates manus vestrae concinnant.

Alienati sunt peccatores ab utero: erraverunt a ventre locuti sunt falsa.

9. lingua: linguae W. M. — machaera: *corr. ex* macera. — 15. eam: *corr. ex* ea. — 20. et psallam: psalmum dicam. W. M. — 26. PSALMUS: *suppl. in hac ed.*

Furor illis secundum similitudinem serpentis; sicut aspidis surdae, et obturantes aures suas: quae non exaudiunt voces incantantium.

Venefici qui incantantur a sapiente; Deus contrivit dentes eorum in ore ipsorum: molas leonum confregit Dominus.

Ad nihilum devenient velut aqua decurrens; intendit arcum suum, donec infirmentur: sicut cera liquefacta auferentur.

Cecidit ignis super eos: et non viderunt solem.

Prius quam producant spinae vestrae ramnum: sicut viventes, sic in ira absorbet vos.

Laetabitur iustus cum viderit vindictam: manus suas lavabit in sanguine peccatorum.

Et dicet homo, Si utique est fructus iusto: potens est Deus iudicans eos in terra. *)

PSALMUS LVIII.

Eripe me de inimicis meis, Deus: et ab insurgentibus in me libera me.

Eripe me de operantibus iniquitatem: et de viris sanguinum libera me.

Quia ecce captaverunt animam meam: irruerunt in me fortes.

Neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine: sine iniquitate cucurri et dilexi.

Exurge in occursum mihi et vide: et tu, Domine Deus virtutum, Deus Israel.

Intende ad visitandas omnes gentes: non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem.

Convertentur ad vesperum, et famem patientur ut canes: et circuibunt civitatem.

Ecce ipsi loquuntur in ore suo; et gladius in labiis ‡ f. 24
eorum: quoniam quis audivit?

2. obturantes... exaudiunt: obturantis... exaudiet. W. M. — *) *In marg. al. ma.* « Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo. (*ant. noct. II fer. VI hebd I*). Tota die (*init. psalm. 55, I hujus noct.*) Ab insurgentibus. » *ant. noct. III.* — 15. PSALMUS: *suppl. in hac ed.* — 23. dilexi : direxi. W. M. — 30. loquuntur: loquentur W. M.

Et tu, Domine, deridebis eos: et pro nihilo habebis omnes gentes.

Fortitudinem meam apud te custodiam, quia tu, Deus, susceptor meus es: Deus meus, misericordia eius praeveniet me.

Deus meus, ostende me inter inimicos meos; ne occideris eos: nequando obliviscantur legis tuae.

Disperge illos in virtute tua; et destrue eos: protector meus Domine.

Delicta oris eorum, sermones labiorum ipsorum; et comprehendantur in superbia sua: et de execratione et mendatio compellentur.

In consummatione, in ira consummationis, et non erunt: et scient quia Deus dominatur Iacob, et finium terrae.

Convertentur ad vesperum, et famem patientur ut canes: et circuibunt civitatem.

Ipsi dispergentur ad manducandum: si vero non saturabuntur et murmurabunt.

Ego autem cantabo virtutem tuam: et exaltabo mane misericordiam tuam.

Quia factus es susceptor meus et refugium meum: in die tribulationis meae.

Adiutor meus, tibi psallam; quia tu, Deus, susceptor meus es: Deus meus, misericordia mea.

PSALMUS LIX.

Deus repulisti nos et destruxisti nos: iratus es et misertus es nobis.

Commovisti terram et conturbasti eam: sana contritiones eius, quoniam mota est.

Ostendisti populo tuo dura: potasti nos vino compunctionis.

Dedisti metuentibus te significationes: ut fugiant a fatie arcus.

1. et pro: pro. W. — 9. comprehendantur: comprehendentur W. M. 24. PSALMUS: *supl. in hac ed.* – LIX: *corr. ex* LX. — 31. significationes: significationem. W. M.

Ut liberentur dilecti tui: salva dextera tua, et exaudi me.

Deus locutus est in sancto suo: Laetabor et partibor Siccimam; et convallem tabernaculorum metibor.

Meus est Galaad et meus est Mannasses: et Effrem fortitudo capitis mei.

Iuda rex meus, Moab olla spei meae: in Idumeam extendam caltiamentum meum; mihi alienigenae subditi sunt.

* Quis deducet me in civitatem circumstantiae? aut quis f.
deducet me usque in Idumeam?

Nonne tu, Deus, qui repulisti nos: et non egredieris in virtutibus nostris?

Da nobis auxilium de tribulatione: et vana salus hominum.

In Deo fatiemus virtutem: et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.

PSALMUS LX.

Exaudi, Deus, deprecationem meam: intende orationi meae.

A finibus terrae ad te clamavi: dum anxiaretur cor meum in petra exaltasti me.

Deduxisti me, quia factus es spes mea: turris fortitudinis a fatie inimici.

Inhabitabo in tabernaculo tuo in aeternum: protegar in velamento alarum tuarum.

Quia tu, Deus, exaudisti orationem meam: dedisti haereditatem metuentibus nomen tuum.

Dies super dies regis adiicies: annos eius usque in diem generationis et progenies.

Permanet in aeternum in conspectu Dei: misericordiam et veritatem eius quis requiret?

Sic psallam nomini tuo in aeternum: ut reddam vota mea de die in diem. *)

4. Effrem: Ephrem. W. — 16. PSALMUS: *suppl. in hac ed.* — 27. adiicies: *corr. ex* adities. — 28. progenies: progeniei W. M. — *) *In marg. al. ma.* « Ab insurgentibus in me libera me. (*ant. noct. III, fer. VI hebd.* I) Deus auxilii. » (*ant. noct. I, fer. II, hebd. II.*)

PSALMUS DAVID LXI.

Nonne Deo subdita erit anima mea? ab ipso enim salutare meum.

Etenim ipse est Deus meus, et salutaris meus: non movebor amplius.

Quousque irruitis in hominem? interficitis omnes vos.

Sicut parieti inclinato et maceriae impulsae: verumtamen honorem meum cogitaverunt repellere.

Cucurrerunt in siti, ore suo benedicebant: et corde suo maledicebant.

Verumtamen Deo subdita esto, anima mea: quoniam ab ipso est patientia mea.

Quia ipse est Deus meus, et salutaris meus: susceptor meus, non emigrabo.

In Deo salutari meo et gloria mea: Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est.

Sperate in eo omnis conventus plebis, effundite coram illo corda vestra: quia Deus adiutor noster est.

Verumtamen vani filii hominum: mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant.

f. 25. ‡ Ipsi de vanitate in idipsum; nolite sperare in iniquitate: et in rapinis nolite concupiscere.

Divitiae si affluant, nolite cor apponere: semel locutus est Deus, duo haec audivi:

Quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia: quia tu reddes unicuique secundum opera eius.

PSALMUS LXII.

Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo: sitivit in te anima mea.

4. Deus meus et salutaris: Deus salutaris. M. — non: et susceptor meus, non. W. M. — 9. ore: *corr. ex* sore. — 13. Deus meus et salutaris: Deus salutaris. M. — 15. salutari meo: W *1 ma.* salutare meum; *super lin. al. ma. corr. ut in codice nostro.* — 17. coram illo: *suppl. sup. lin. al. ma.*

Quam multipliciter tibi et caro mea: in terra deserta, in invio et inaquoso.

Sic in sancto apparui tibi: ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam.

Quia melior misericordia tua super vitam: labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vita mea: et in nomine tuo levabo manus meas.

Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea: et labia exultationis laudabunt nomen tuum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te: quia factus es adiutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo; adhaesit anima mea post te: me autem suscepit dextera tua.

Ipsi vero in vanum quaesierunt animam meam; introibunt in inferiora terrae: tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.

Rex vero laetabitur in Deo, et laudabuntur omnes qui iurant in eo: quia obstructum est os loquentium iniqua.

PSALMUS LXIII.

Exaudi, Deus, vocem meam cum deprecor: a timore inimici eripe animam meam.

Protege me a conversatione malignantium: et a multitudine operantium iniquitatem.

Quia exacuerunt ut gladium linguas suas: intenderunt arcum suum rem amaram.

Ut sagittent in occultis immaculatum: subito sagittabunt eum, et non timebunt.

Firmaverunt sibi verbum malum; disposuerent ut absconderent laqueos: dixerunt, Quis videbit eos?

Perscrutati sunt iniquitates: defecerunt scrutantes scrutinium.

2. in invio: et in invio. W. — 11. tui: tui, Deus. W. M. — 16. partes: patres. W. — 20. PSALMUS: *add. in hac ed.*

Accedit homo ad cor altum: et exaltabitur Deus.

25'. Sagittae parvulorum † factae sunt plagae eorum: et infirmatae sunt in ipsis linguae eorum.

Conturbati sunt omnes qui videbant eos et timuit omnis homo: et annunciaverunt opera Dei, et facta eius intellexerunt.

Laetabitur iustus in Domino et sperabit in eo: et laudabuntur omnes recti corde.

PSALMUS LXIV.

Te decet hymnus, Deus, in Sion: et tibi reddetur votum in Ierusalem.

Exaudi orationem meam, Domine: ad te omnis caro veniet.

Verba iniquorum praevaluerunt super nos: et impietatibus nostris tu propitiaberis.

Beatus quem elegisti et assumpsisti: inhabitabit in atriis tuis.

Replebimur in bonis domus tuae: sanctum est templum tuum, mirabile in aequitate.

Exaudi nos, Deus salutaris noster: spes omnium finium terrae et in mari longe.

Praepara montes in virtute tua: accinctus potentia.

Qui conturbas fundum maris: sonum fluctuum eius quis sustinebit?

Turbabuntur gentes; et timebunt: qui habitant fines terrae a signis tuis.

Exitus matutini et vesperae delectaberis; visitasti terram et inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam.

Flumen Dei repletum est aqua; parasti cibum illorum: quia ita est praeparatio tua.

Rivos eius inebrians: multiplicans generationes eius.

In stillicidiis suis laetabitur cum exorietur: benedices

9. PSALMUS LXIV: *in codd. I ma.* LXV. — 31. inebrians: *1 ma. sup. lin. et alia ma. refect.* — multiplicans: multiplica. W.

coronam anni benignitatis tuae, et campi tui replebuntur ubertate.

Pinguescent fines deserti: et exultatione colles accingentur.

Induti sunt arietes ovium, et convalles abundabunt frumento: etenim clamabunt, et hymnum dicent. *)

PSALMUS LXV.

Iubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini eius: date gloriam laudi eius.

Dicite Deo; Quam terribilia sunt opera tua: in multitudine virtutis tuae mentientur tibi inimici tui.

Omnis terra adoret te, et psallat tibi: psalmum dicat nomini tuo, Altissime.

Venite et videte opera Dei: quam terribilis in consiliis super filios hominum.

‡ Qui convertit mare in aridam: flumina pertransibunt f. 26
pede.

Ibi laetabimur in ipso: qui dominatur iu virtute sua in aeternum.

Oculi eius super gentes respiciunt: qui in ira provocant, non exaltentur in se.

Benedicite gentes Deum nostrum: et obaudite voci laudis eius.

Qui posuit animam meam ad vitam: et non dedit commoveri pedes meos.

Quoniam probasti nos, Deus igne nos examinasti: sicut igne examinatur argentum.

Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes super dorsum nostrum: imposuisti homines super capita nostra.

Transivimus per ignem et aquam: et induxisti nos in refrigerium.

*) *In marg. al. ma.:* « Deus auxilii mei et spes mea in Deo est (*ant. noct. I fer. II hebd. II*) Iubilate Deo » *Ant. noct. seq.* — 7. PSALMUS: *suppl. in hac ed.* — 16. aridam: *corr. ex* adridam.

Introibo in domum tuam in holocaustis; reddam tibi vota mea: quae distinxerunt labia mea.

Locutum est os meum in tribulatione mea; Holocausta medullata offeram tibi cum incenso et arietibus: offeram tibi boves cum hircis.

Venite, et audite, et enarrabo vobis omnes qui timetis Deum: quanta fecerit animae meae.

Ad ipsum ore meo clamavi: et exultavi sub lingua mea.

Iniquitatem si conspexi in corde meo: non exaudiet me Dominus.

Propterea axaudivit me Deus: intendit voci orationis meae.

Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam: et misericordiam suam a me.

PSALMUS DAVID LXVI.

Deus misereatur nobis, et benedicat nos: illuminet vultum suum super nos, et misereatur nobis.

Ut cognoscamus in terra viam tuam : in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi, Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Laetentur et exultent gentes, quoniam iudicabis populos in aequitate: et gentes in terra diriges.

Confiteantur tibi populi, Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Terra dedit fructum suum; benedicat nos Deus Deus noster: benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terrae.

PSALMUS IPSI DAVID LXVII.

Exsurgat Deus et dissipentur inimici eius: et fugiant a facie eius qui oderunt eum.

26'. Sicut deficit fumus, defitiant; sicut ⁑ defluit cera a fatie ignis: sic pereant peccatores a facie Dei; et iusti epulentur.

Exultent in conspectu Dei gentes: delectentur in laetitia.

Cantate Deo, psalmum dicite nomini eius: iter facite ei qui ascendit super occasum; Dominus nomen est ei.

Exultate in conspectu eius: turbabuntur a fatie eius patres orphanorum, et iudices viduarum.

Deus in loco sancto suo: Deus inhabitare facit unius moris in domo.

Qui educit vinctos in fortitudine similiter: et eos qui in ira provocant, qui habitant in sepulchris.

Deus dum egredieris coram populo tuo: dum transgredieris in deserto.

Terra mota est etenim caeli distillaverunt a fatie Dei, qui est in Syna: a fatie Dei Israel.

Pluviam voluntariam segregans Deus hereditati tuae, et infirmata est: tu vero perfecisti eam.

Animalia tua inhabitabunt in ea: parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.

Dominus dabit verbum: evangelizantibus virtutes multas.

Rex virtutum dilecti: speties domus dividere spolia.

Si dormiatis inter medios cleros; ibi pennae columbae deargentatae: et posteriora dorsi eius in pallore auri.

Dum discernit caelestis reges super eam: nive dealbabuntur in Selmon.

Montem Dei montem uberem: mons coagulatus mons uber.

Ut quid suspicitis montes uberes? mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit usque in finem.

Currus Dei decem millium: multiplex millia laetantium.

Dominus in illis, in Syna, in sancto; ascendisti in altum, cepisti captivitatem: accepisti dona in homines.

Etenim non credentes inhabitare; Dominus Deus benedictus: benedictus Dominus de die in diem.

2. super.... est: *1 ma. in ras.* — 4. patres: patris. — iudices: iudicis. W. M. — 12. a fatie Dei Israel: *1 ma. in ras.* — 25. montes uberes: montem uberem. W. M. — 27. millium.... millia: *corr. ex* milium.... milia.

Prosperum iter fatiet nobis Deus salutaris noster; Deus noster, Deus salvos fatiendi: et Domini Domini exitus mortis.

Verumtamen Deus conquassabit capita inimicorum suorum: verticem capilli perambulantium in delictis suis.

Dixit Dominus, Ex Basan convertam: convertar in profundum maris.

Ut intinguatur pes tuus in sanguine: lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.

Visi sunt gressus tui, Deus: gressus Dei mei regis qui est in sancto.

27. ‡ Praevenerunt principes coniuncti psallentibus: in medio iuvenum tympanistriarum.

In ecclesiis benedicite Deum: Dominum de fontibus Israel.

Ibi Beniamin adolescentior, in pavore principes Juda duces eorum: principes Zabulon, principes Neptalim.

Manda, Deus, virtutem tuam: confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.

A templo tuo Jerusalem: tibi offerunt reges munera,

Increpa feras silvae: consilium taurorum inter vaccas populorum.

Ut non excludantur hi qui probati sunt argento: dissipa gentes quae bella volunt.

Venient legati ex Aegypto: Aethiopia praeveniet manus suas Deo.

Regna terrae cantate Deo, psallite Domino: cantate Deo qui ascendit super caelos caelorum ad orientem.

Ecce dabit vocem suam vocem virtutis; date gloriam Deo super Israel: magnificentia eius, et virtus eius in nubibus.

Mirabilis Deus in sanctis suis; Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebis suae: benedictus Deus. *

4. capilli: *corr. ex* capillis. — 5. convertam: convertar. W. M. — 15. adolescentior: *corr. ex* adulescentior. — 26. Domino cantate: *suppl. 1 ma. in marg.* — 27. Deo: *corr. 1 ma. ex* Dno. — 32. plebis: plebi. W. M. — *) *In marg. al. ma.* « Iubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini eius. (*ant. noct. II, fer. II, hebd. II*) Intende animae. » *ant. noct. III seq.*

PSALMUS LXVIII.

Salva me, Deus: quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam.

Infixus sum in limo profundi: et non est substantia.

Veni in altitudinem maris: et tempestas dimersit me.

Laboravi clamans raucae factae sunt fauces meae: defecerunt oculi mei, dum spero in Deo meo.

Multiplicati sunt super capillos capitis mei: et qui oderunt me gratis.

Confortati sunt qui me persequuntur inimici mei iniuste: quae non rapui, tunc exsolvebam.

Deus, tu scis insipientiam meam: et delicta mea a te non sunt abscondita.

Non erubescant in me qui te exspectant, Domine: Domine virtutum, non revereantur super me, qui quaerunt te, Deus Israel.

Quoniam propter te subportavi improperium: operuit reverentia fatiem meam.

Exter factus sum fratribus meis: et hospes filius matris meae.

Quoniam zelus domus tuae comedit me: et obprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.

Et operui in ieiunio animam meam: et factum est mihi in opprobrium.

Posui vestimentum meum cilitium: et factus sum illis in parabolam.

⁑ Adversum me exercebantur qui sedebant in porta: f. 27'
et in me psallebant qui bibebant vinum.

Ego vero orationem meam ad te, Domine: tempus beneplaciti Deo.

In multitudine misericordiae tuae exaudi me: in veritate salutis tuae.

Salva me a luto ut non inhaeream: libera me ex odientibus me, et de profundo aquarum.

2. intraverunt: *al. ma. in. ras.*: introierunt. W. M. — 7. defecerunt oculi mei: *al. ma. suppl. sup. lin.* — 8. et qui: qui. W. M.

Non me dimergat tempestas aquae, neque absorbeat me profundum: neque urgeat super me puteus os suum.

Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua: secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.

Ne avertas fatiem tuam a puero tuo: quoniam tribulor velociter exaudi me.

Intende animae meae et libera eam: propter inimicos meos eripe me.

Tu enim scis improperium meum: confusionem et verecundiam meam.

In conspectu tuo sunt omnes tribulantes me: improperium exspectavit anima mea et miseriam.

Et sustinui qui simul contristaretur et non fuit: et consolantem me et non inveni.

Et dederunt in escam meam fel: et in siti mea potaverunt me aceto.

Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum: et in retributionem et in scandalum.

Obscurentur oculi eorum ne videant: et dorsum ipsorum semper incurva.

Effunde super eos iram tuam: et indignatio irae tuae apprehendat eos.

Fiat habitatio eorum deserta: et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.

Quoniam quem tu percussisti, ipsi persecuti sunt: et super dolorem vulnerum eorum addiderunt ipsi.

Appone iniquitatem super iniquitatem ipsorum: et non intrent in tuam iustitiam.

Deleantur de libro viventium: et cum iustis non scribantur.

Pauper et dolens ego sum: et salus tua, Deus, suscepit me.

15. et non: non. W.

Laudabo nomen Dei cum cantico: et magnificabo eum in laude.

Et placebit Deo super vitulum novellum: cornua producentem et ungulas.

Videant pauperes et laetentur: quaerite Deum, et vivet anima vestra.

Quoniam exaudivit pauperes Dominus: et vinctos suos non annullavit.

⁑ Laudent eum caeli et terra: mare et omnia, quae f. 28 in eis sunt.

Quoniam Deus salvam fatiet Syon: et aedificabuntur civitates Judae.

Et inhabitabunt ibi et hereditabunt eam: et semen servorum eius possidebunt eam; et qui diligunt nomen eius habitabunt in ea.

PSALMUS LXIX.

Deus, in adiutorium meum intende: Domine, ad adiuvandum me festina.

Confundantur et revereantur omnes: qui quaerunt animam meam.

Avertantur retrorsum et confundantur: qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes: qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exultent et laetentur in te omnes qui quaerunt te, Domine: et dicant semper, Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus et pauper sum: Deus, adiuva me.

Adiutor meus et liberator meus es tu: Domine, *Deus meus* ne tardaveris.

PSALMUS DAVID LXX.

Deus, in te speravi: Domine, non confundar in aeternum.

29. es tu: *corr. ex* estu; esto. W. M. — Deus meus: *al. m. sup. lin.*; *om.* W. M. 31. LXX *corr. ex* LXV.

In tua iustitia libera me: et eripe me.

Inclina aurem tuam: et salva me.

Esto mihi in Deum protectorem: et in locum munitum, ut salvum me facias.

Quoniam firmamentum meum et refugium meum es tu; Deus meus, libera me de manu peccatoris: et de manu contra legem agentis et iniqui.

Quoniam tu es patientia mea, Domine: Domine, spes mea a iuventute mea.

In te confirmatus sum ex utero: de ventre matris meae, tu es meus protector.

In te decantatio mea semper; tamquam prodigium factus sum nimis: et tu adiutor fortis.

Repleatur os meum laude tua: ut possim cantare gloriam tuam; tota die magnificentiam tuam.

Ne proiitias me in tempore senectutis; cum defecerit virtus mea: Deus, ne derelinquas me.

Quia dixerunt inimici mei mihi: et qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum.

f. 28'. Dicentes, Deus dereliquit eum; persequimini ‡ et comprehendite eum: quia non est qui eripiat eum.

Deus, ne elonges a me: Deus meus, in auxilium meum respice.

Confundantur et defitiant detrahentes animae meae: operiantur confusione et pudore qui quaerunt mala mihi.

Ego autem semper in te sperabo: et adiitiam super omnem laudem tuam.

Os meum pronuntiabit iustitiam tuam: tota die salutem tuam.

Quia non cognovi negotiationem: introibo in potentiam Domini.

Domine, memorabor iustitiae tuae solius: Deus, qui docuisti me a iuventute mea.

2. Inclina: Inclina ad me. W. M. — 13. nimis: multis. M. *in* W *lac.* — 16. in: *corr. ex* an. — 20. dereliquit: *corr. ex* dereliquid. — 21. quia: et. W. M.

Et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua: et usque in senectam et senium, Deus, ne derelinquas me.

Donec annuntiem brachium tuum generationi venturae: potentiam tuam et iustitiam tuam.

Deus, usque in excelsis, quae fecisti magnalia? Deus, quis similis tibi?

Quas ostendisti mihi tribulationes multas et malas: et conversus vivificasti me, et de abyssis terrae iterum reduxisti me.

Multiplicasti iustitiam tuam super me: et conversus vivificasti me, et de abyssis terrae iterum reduxisti me.

Et ego confitebor tibi in populis, Domine: in vasis psalmorum veritatem tuam, Deus.

Psallam tibi in cithara, sanctus Israel; exultabunt labia mea cum psallam tibi: et anima mea, quam redemisti.

Insuper et lingua mea meditabitur iustitiam tuam: cum confusi et reveriti fuerint, qui quaerunt mala mihi.*

PSALMUS LXXI.

Deus, iuditium tuum regi da: et iustitiam tuam filio regis.

Iudicare populum tuum in tua iustitia: et pauperes tuos in iuditio.

Suscipiant montes pacem populo tuo: et colles iustitiam.

Iudicabit pauperes populi: ut salvos fatiet filios pauperum.

Humiliabit calumniatorem: et permanebit cum sole, et ante lunam in saecula saeculorum.

Et descendit sicut pluvia in vellus: et sicut stillicidia stillantia super terram.

11. vivificasti: exhortatus es. W. M. — *) *Inter lin. al. ma.:* « Intende animae meae, Domine, et libera eam. *(ant. noct. III, fer. II, hebd. II.)* Die martis: Parce Domine » *ant. noct. I fer. III seq.* — 18. PSALMUS: *suppl. in hac ed.* — LXXI *corr. ex* LXVI. — 29. descendit: descendet. W. M.

Orietur in diebus eius iustitia: et abundantia pacis, donec extollatur luna.

f. 29. Et dominabitur a mari ⁑ usque ad mare: et a flumine usque ad terminos terrae.

Coram illo procident Aethiopes: et inimici eius terram lingent.

Reges Tharsis et insulae munera offerunt: reges Arabum et Saba dona adducunt.

Et adorabunt eum omnes reges terrae: omnes gentes servient ei.

Quia liberavit pauperem a potente: et inopem cui non erat adiutor.

Parcet pauperi et inopi: et animas pauperum salvas faciet.

Ex usuris et iniquitate liberabit animas eorum: et praeclarum nomen eius coram ipsis.

Et vivet et dabitur ei de auro Arabiae: et orabunt pro ipso semper.

Tota die benedicent eum: et erit firmamentum in terra in summis montium.

Superextolletur super Libanum fructus eius: et florebit de civitate sicut foenum terrae.

Et erit nomen eius benedictum in saecula: ante solem permanebit nomen eius; et ante lunam in saecula saeculorum sedes eius.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terrae: omnes gentes beatificabunt eum.

Benedictus Dominus Deus Israel: qui facit mirabilia solus.

Et benedictum nomen maiestatis eius in aeternum: et in saeculum saeculi.

Et replebitur in maiestate eius omnis terra: fiat, fiat.

5. Aethiopes: *corr. ex* ehtiopes, *suppl. al. ma. sup. lin.* — 11. liberavit: liberabit. W. M. — 13. salvas: *corr. ex* salvos. — 21. florebit: florebunt. W. M. — 32. in maiestate: maiestate. W. M.

PSALMUS LXXII.

Quam bonus Deus Israel rectis corde; mei autem pene moti sunt pedes: pene effusi sunt gressus mei.

Quia zelavi super iniquos: pacem peccatorum videns.

Quia non est declinatio morti eorum: et firmamentum in plaga eorum.

In laboribus hominum non sunt: et cum hominibus non flagellabuntur.

Ideo tenuit eos superbia eorum in finem: operti sunt iniquitate et impietate sua.

Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum: transierunt in dispositionem cordis.

Cogitaverunt et locuti sunt nequitiam: in excelsum locuti sunt.

Posuerunt in caelo os suum: et lingua eorum transiit super terram.

Ideo revertetur huc populus meus: et dies pleni invenientur in eis.

Et dixerunt, Quomodo scit Deus: et si est * scientia f. 29v
in excelso?

Ecce ipsi peccatores et abundantes in saecula: obtinuerunt divitias.

Et dixi, Ergo sine causa iustificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas: et fui flagellatus tota die, et index meus in matutinis.

Si dicebam, Narrabo sic: ecce nationes filiorum tuorum cui disposui.

Et si existimabam ut cognoscerem, hoc labor est ante me: donec intrem in sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis eorum.

1. PSALMUS *suppl. in hac ed.* — LXXII *corr. ex* LXVII. — 4. iniquos: inimicos. W. — 5. morti: *om.* W., *suppl. al. ma. in marg.* M. — 13. nequitiam: in nequitia. W. M. — in excelsum: iniquitate in excelsum. W.; iniquitate in excelso. M. — 15. caelo: caelum. W. M. — transiit: transit. W. — 19. scit: scivit. W *sed abras.;* scit. M. — 21. saecula: saeculo. W. M.

Verumtamen propter dolositatem posuisti illis mala: deiecisti eos, dum extollerentur.

Quomodo facti sunt in desolatione repente: defecerunt et perierunt propter iniquitates suas, velut somnium insurgentes.

Domine in civitate tua: imagines ipsorum ad nihilum rediges.

Quia exarsit cor meum, et renes mei immutati sunt: et ego ad nihilum redactus sum, et nescivi.

Velut iumentum factus sum apud te: et ego semper tecum.

Tenuisti manum dexterae meae, et in voluntate tua deduxisti me: et cum gloria assumpsisti me.

Quid enim mihi restat in caelo: et a te quid volui super terram?

Defecit cor meum et caro mea: Deus cordis mei et pars mea tu Deus in saecula.

Quia ecce qui elongant se a te, peribunt: perdidisti omnes fornicantes abs te.

Mihi autem adhaerere Deo bonum est: ponere in Deo spem meam.

Ut annuntiem omnes laudes tuas: in portis filiae Sion.

PSALMUS DAVID LXXIII.

Ut quid, Deus, repulisti in finem: iratus est animus tuus super oves gregis tui?

Memento congregationis tuae, Domine: quam creasti ad initio.

Liberasti virgam hereditatis tuae: mons Syon in quo habitasti in ipso.

Eleva manus tuas in superbia eorum; quanta malignatus est inimicus in sanctis tuis: et gloriati sunt qui te oderunt in medio sollemnitatis tuae.

4. et: *om.* W. M. — 20. ponere: et ponere. M. — 23. LXXIII: *corr. ex* LXVIII. — 26. Domine: *om.* W. M. — 30. in superbia: in superbiam. M. — eorum: eorum in finem. W.

Posuerunt signa sua, signa: et non cognoverunt sicut in exitu deinsuper.

Quasi in silva lignorum securibus: exciderunt radices eius.

⁎ In idipsum, in bipenni et ascia deiecerunt eam: in- f. 30
cenderunt igni sanctuarium tuum, in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.

Dixerunt in corde suo, cognatio eorum, in ipsum, Venite, comprimamus dies festos Dei de terra: signa nostra non vidimus, iam non est propheta, et nos non agnoscet amplius.

Usquequo, Deus, improperabit inimicus: irritat adversarius nomen tuum in finem?

Ut quid avertis manum tuam: et dexteram tuam de medio sinu tuo in finem?

Deus autem rex noster: operatus est salutem in medio terrae.

Tu confirmasti in virtute tua mare: tu contribulasti capita draconum super aquas.

Tu confregisti caput draconis: et dedisti eum in escam populo Aethiopum.

Tu irrupisti fontes et torrentes: tu siccasti flumina Etham.

Tuus est dies et tua est nox; tu praeparasti lumen et solem: tu fecisti omnes terminos terrae, aestatem et ver, tu fecisti eam.

Memor esto huius, inimicus improperavit Domino: et populus insipiens exacerbavit nomen tuum.

Ne tradas bestiis animas confitentium tibi: animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

Respice in testamentum tuum: quia repleti sunt qui obscurati sunt terrae domibus iniquitatum.

Ne avertatur humiliatus et confusus: pauper et inops laudabunt nomen tuum.

15. medio sinu tuo: medio tui. M. — 16. noster: W. M. *add.:* ante saecula. — 26. eam: ea. M. — 27. improperavit: improperabit. M.

Exurge, Deus, iudica causam tuam: memor esto improperiorum tuorum, quia insipientes sunt tota die.

Ne obliviscaris voces supplicum tuorum: superbia eorum, qui te oderunt, ascendat ad te semper.

PSALMUS LXXIV.

Confitebimur tibi, Deus, confitebimur tibi: et invocabimus nomen tuum.

Narrabo omnia mirabilia tua: cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.

Liquefacta est terra, et omnes inhabitantes in ea: ego confirmavi columnas eius.

f. 30'. Dixi iniquis, Nolite inique ‡ agere: et delinquentibus, Nolite exaltare cornu.

Nolite extollere in altum cornu vestrum: nolite loqui adversus Deum iniquitatem.

Quoniam neque ab oriente, neque ab occidente: quoniam Deus iudex est.

Hunc humiliat et hunc exaltat: quia calix in manu Domini vini meri plenus est misto.

Et inclinavit ex hoc in hoc; verumtamen fex eius non est exinanita: bibent omnes peccatores terrae.

Ego autem in saecula gaudebo: psallam Deo Iacob.

Et omnia cornua peccatorum confringam: et exaltabuntur cornua iusti.

PSALMUS DAVID LXXV.

Notus in Iudea Deus: in Israel magnum nomen eius.

Factus est in pace locus eius: et habitatio eius in Syon.

Ibi confregit potestates: arcum, scutum, glabium et bellum.

2. quia insipientes: que ab insipiente. W. M. — 5. PSALMUS: *add. in hac ed.* — LXXIV *corr. ex* LXVIIII. — 8. omnia: *bis in cod.* — 14. altum: *corr. ex* altu. — 16. occidente: W. M. *add.:* neque a desertis montibus. — 18. Hunc: *corr. ex* Tunc. — 25. LXXV: *corr. ex* LXX.

Inluminans tu mirabiliter a montibus aeternis; turbati sunt omnes insipientes corde: dormierunt somnium suum et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.

Ab increpatione tua, Deus Iacob: dormitaverunt qui ascenderunt equos.

Tu terribilis es: et quis resistet tibi contra fatiem tuam?

Ex tunc ira tua de caelo: auditum fecisti iuditium.

Terra tremuit et quievit, cum resurgeret in iuditio Deus: ut salvos faceret omnes quietos terrae.

Quia cogitatio hominis confitebitur tibi: et reliquiae cogitationis diem festum agent tibi.

Vovete et reddite Domino Deo nostro: omnes qui in circuitu eius sunt, offerunt munera terribili Deo.

Terribili et ei qui aufert spiritum principum: terribili apud reges terrae. *)

PSALMUS LXXVI.

Voce mea ad Dominum clamavi: vox mea ad Deum, et respexit me.

In die tribulationis meae Deum exquisivi manibus meis: coram eo noctu et non sum deceptus.

Negavi consolari animam meam: memor fui Dei et delectatus sum.

Exercitatus sum: et defecit paulisper spiritus meus.

Anticipaverunt vigilias oculi mei: turbatus sum et non sum ⁑ locutus. f. 31

Cogitavi dies antiquos, et annos aeternos: in mente habui et meditatus sum.

Nocte cum corde meo exercitabam: et ventilabam spiritum meum.

Ne in aeternum proiitiet Dominus: et non apponet ut beneplacitum sit adhuc?

2. somnium: somnum. M. — *) *Inter lin. al. ma.:* « Parce Domine pauperi et inopi. (*ant. noct. I fer. III hebd. II*). Memor fui. » *ant. noct. seq.* — 16. PSALMUS: *suppl. in hac ed.* — 20. noctu: nocte. W. M.

Aut in finem misericordiam suam abscondet: complebit verbum a generatione et generatione.

Aut obliviscetur misereri Deus: aut continebit in ira sua misericordiam suam.

Et dixi, Nunc coepi: haec mutatio dexterae Excelsi.

Memor fui operum Domini: quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.

Et meditabor in omnibus operibus tuis: et in observationibus tuis exercebor.

Deus, in sancto via tua, quis Deus magnus sicut Deus noster: tu es Deus qui facis mirabilia solus.

Notam fecisti in populis virtutem tuam: liberasti in brachio tuo populum tuum, filios Iacob et Ioseph.

Viderunt te aquae, Deus, viderunt te aquae et timerunt: turbatae sunt abyssi.

A multitudine sonitus aquarum: vocem dederunt nubes.

Etenim sagittae tuae transeunt: vox tonitrui tui in rota.

Inluxerunt fulgora tua orbi terrae: commota est et contremuit terra.

In mari viae tuae et semitae tuae in aquis multis: et vestigia tua non cognoscentur.

Deduxisti sicut oves populus tuum: in manu Moysi et Aaron.

PSALMUS LXXVII.

Adtendite, populus meus, legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei.

Aperiam in parabolis os meum: loquar propositiones ab initio.

Quanta audivimus et cognovimus ea: et patres nostri narraverunt nobis.

Non sunt occultata a filiis eorum: in generatione altera.

2. generatione: generationem. W. M. — 10. Deus in etc. *lit. capit.:* D *grandior, ut sunt omnes init. psalm.* — 13. tuo: *abr. in cod., suppl. ex* W *et* M.

Narrantes laudes Domini virtutes eius: et mirabilia eius quae fecit.

Et suscitavit testimonium in Iacob: et legem posuit in Israel.

Quae mandavit patribus nostris, ut nota facerent ea filiis suis: ut cognoscat generatio altera.

Filii qui nascentur exurgent: et narrabunt ea filiis suis.

⁎ Ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur f. 31 operum Dei: et mandata eius exquirant.

Nec fiant sicut patres eorum genus pravum et peramarum: genus quod non direxit cor suum; nec est creditus cum Deo spiritus eius.

Filii Ephrem intendentes et mittentes arcum: conversi sunt in die belli.

Non custodierunt testamentum Dei: et in lege eius noluerunt ambulare.

Et obliti sunt benefactorum eius: et mirabilium eius quae ostendit eis.

Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Aegypti: in campo Thaneos.

Interrupit mare et perduxit eos: statuit aquas quasi in utre.

Et deduxit eos in nube diei: et tota nocte in inluminatione ignis.

Interrupit petram in deserto: et adaquavit eos velut in abysso multa.

Et eduxit aquam de petra: et deduxit flumina aquas.

Et apposuerunt adhuc peccare ei: et exacerbaverunt Excelsum in siccitate.

Et temptaverunt Deum in cordibus suis: ut peterent escas animabus suis.

Et male locuti sunt de Deo et dixerunt: Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?

1. virtutes: et virtutes. W. M. — 8. Ut: Et. W. M. — 10. Nec: Ne. W. M. — 23. nocte: *corr. ex:* die, *ut W. et M.* — 27. flumina: tamquam flumina. W. M.

Quia percussit petram et fluxerunt aquae: et torrentes inundaverunt.

Numquid et panem poterit dare: aut parare mensam populo suo?

Ideo audivit Dominus et distulit, et ignis accensus est in Iacob: et ira ascendit in Israel.

Quia non crediderunt in Deum: nec speraverunt in salutare eius.

Et mandavit nubibus desuper; et ianuas caeli aperuit: et pluit illis manna manducare.

Panem caeli dedit eis: panem Angelorum manducavit homo.

Frumentationem misit eis in abundantia, et excitavit Austrum de caelo: et induxit in virtute sua Africum.

Et pluit super eos sicut pulverem carnis: et sicut arenam maris volatilia pennata.

f. 32. Et ceciderunt in medio ‡ castrorum eorum: circa tabernacula eorum.

Et manducaverunt et saturati sunt nimis: et desiderium eorum attulit eis.

Non sunt fraudati a desiderio suo: adhuc esca eorum erat in ore ipsorum, et ira Dei ascendit in eos.

Et occidit plurimos eorum: et electos Israel impedivit.

In omnibus his peccaverunt adhuc: et non crediderunt in mirabilibus eius.

Et defecerunt in vanitate dies eorum: et anni eorum cum festinantia.

Cum occideret eos, tunc quaerebant eum: et convertebantur ante lucem, et veniebant ad eum.

Et rememorati sunt quia Deus adiutor eorum est: et Deus excelsus liberator eorum est.

Et dilexerunt eum in ore suo: et in lingua sua mentiti sunt ei.

Cor autem eorum non est rectum cum eo: nec fides habita est illis in testamento eius.

Ipse autem est misericors et pius, et propitius fiet peccatis eorum: et non disperdet.

Et abundavit ut averteret iram suam: et non accendet omnem iram suam.

Et rememoratus est quia caro sunt: spiritus vadens et non rediens.

Quoties exacerbaverunt eum in deserto: in iram concitaverunt eum in terra sine aqua.

Et conversi sunt et temptaverunt Deum: et sanctum Israel exacerbaverunt.

Non sunt rememorati manus eius: qua die liberavit eos de manu tribulantium.

Sicut posuit in Aegypto signa sua: et prodigia sua in campo Thaneos.

Et convertit in sanguinem flumina eorum: et pluviales aquas eorum ne biberent.

Immisit in eos muscam caninam, et comedit eos: et ranam, exterminavit eos.

Et dedit aerugini fructus eorum: et labores eorum locustae.

Et occidit in grandine vineas eorum: et moros eorum in pruina.

Et tradidit grandini iumenta eorum: et possessiones eorum in ignem.

Immisit in eos iram indignationis suae: indignationem, iram et tribulationes, ‡ immissiones per angelos malos. f. 32

Viam fecit semitae irae suae, et non pepercit a morte animabus eorum: et iumenta eorum in morte conclusit.

Et percussit omne primogenitum in terra Aegypti: primitias omnis laboris ipsorum in tabernaculis Cham.

Et abstulit sicut oves populum suum: et perduxit eos tamquam gregem in deserto.

Et deduxit eos in spe, et non timuerunt: et inimicos eorum operuit mare.

1. *Post* fiet *al. ma. sup. lin. add.*: autem. — 3. accendet: accendit. W. M. 7. in iram: in ira. W. M.

Et induxit eos in montem sacrifitii sui: montem hunc quem acquisivit dextera eius.

Et eiecit a facie eorum gentes: et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis.

Et habitavit in tabernaculis eorum: tribus Israel.

Et temptaverunt et exacerbaverunt Deum excelsum: et testimonia eius non custodierunt.

Et averterunt se et non observaverunt pactum: quemadmodum patres eorum.

Et conversi sunt in arcum perversum; in iram concitaverunt eum in collibus suis: et in sculptilibus suis aemulati sunt eum.

Et audivit Deus et sprevit eos: et ad nihilum redegit nimis Israhel.

Et repulit tabernaculum Selom: tabernaculum in quo habitavit inter homines.

Et tradidit in captivitatem virtutes eorum: et pulchritudines eorum in manus inimici.

Et conclusit in gladio populum suum: et hereditatem suam sprevit.

Iuvenes eorum comedit ignis: et virgines eorum non sunt lamentatae.

Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt: et viduae eorum non plorabuntur.

Et excitatus est tamquam dormiens Dominus: tamquam potans crapulatus a vino.

Et percussit inimicos suos in posteriora: obprobrium sempiternum dedit eis.

Et repulit tabernaculum Ioseph, tribum Ephrem non elegit: sed elegit tribum Iuda.

Montem Syon quem dilexit; et aedificavit sicut unicornuum sacrifitium suum: in terra fundavit eam in saecula.

10. in iram: in ira. W. M. — 17. virtutes: virtutem. W. — pulchritudines: pulchritudinem. W. — 26. potans: potens. W. — 29. tribum: et tribum. W. M. — 31. unicornuum: unicornuorum. W. M.

Et elegit David servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium: et de post foetantes accepit eum.

Pascere Iacob servum suum: et Israel hereditatem suam.

Et pavit eos sine malitia cordis sui: ‡ et in sensu f. 3 manuum suarum deduxit eos.*)

PSALMUS LXXVIII.

Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam: quo inquinaverunt templum sanctum tuum.

Posuerunt Ierusalem velut pomorum custodiarium: posuerunt mortalia servorum tuorum escas volatilibus caeli.

Carnes sanctorum tuorum: bestiis terrae.

Effuderunt sanguinem eorum sicut aqua in circuitu Ierusalem: et non erat qui sepeliret.

Facti sumus in obprobrium vicinis nostris: illusionem et derisum his qui sunt in circuitu nostro.

Usquequo, Deus, irasceris in finem: accendetur velut ignis zelus tuus?

Effunde iram tuam in gentes quae te non noverunt: et in regna quae non invocaverunt nomen tuum.

Quia comederunt Iacob: et locum eius desolaverunt.

Ne memineris iniquitates nostras antiquas: cito nos anticipet misericordia tua, Domine; quia pauperes facti sumus nimis.

Adiuva nos, Deus salutaris noster; propter honorem nominis tui, Domine, libera nos: et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Ne quando dicant gentes, Ubi est Deus eorum: et innotescat in nationibus coram oculis nostris.

Vindica sanguinem servorum tuorum: qui effusus est.

Intret in conspectu tuo gemitus compeditorum: secundum magnitudinem brachii tui, posside filios morti punitorum.

*) *In marg. al. ma.:* « Memor fui Dei et delectatus sum. *ant. noct. II. fer. III. hebd. II.* Propitius esto Deus » *ant. noct. seq.* — 7. quo inquinaverunt: coinquinaverunt. W. M. — 14. illusionem et derisum: *corr. ex.* illusione et derisu. — 16. accendetur: accenditur. W. M.

Redde vicinis nostris septuplum, in sinu eorum improperium ipsorum: quod improperaverunt tibi, Domine.

Nos autem populus tuus et oves gregis tui: confitebimur tibi, Deus, in saecula.

In generatione et progenie: enarrabimus laudem tuam.

PSALMUS LXXIX.

Qui regis Israel, intende: qui deducis velut ovem Ioseph.

Qui sedes super Cherubim, appare: coram Ephrem et Beniamin et Manasse.

Excita potentiam tuam: et veni ut salvos fatias nos.

Deus converte nos: et ostende fatiem tuam, et salvi erimus.

Domine Deus virtutum: quousque irascéris in orationem servi tui.

33'. Cibabis nos panem lacrymarum: † et potum dabis nobis lacrymis in mensuram?

Posuisti nos in contradictione vicinis nostris: et inimici nostri deriserunt nos.

Domine Deus virtutum, converte nos: et ostende fatiem tuam, et salvi erimus.

Vineam de Aegypto transtulisti: eiecisti gentes et plantasti eam.

Viam fecisti in conspectu eius: et plantasti radices eius, et replevit terram.

Operuit montes umbra eius: et arbusta eius cedros Dei.

Extendisti palmites eius usque ad mare: et usque ad flumen propagines eius.

Ut quid deposuisti maceriam eius: et vindemiant eam omnes qui transeunt viam?

Exterminavit eam aper de silva: et singularis ferus depastus est eam.

6. LXXIX *corr. ex* LXXIIII. — 11. Deus: Deus virtutum. M. — 15. panem: pane. W. M. — 16. lacrymis: in lacrymis. W. M. — 17. contradictione: contradictionem. W. M. — 25. cedros: M. *ante* cedros *2 ma. suppl.*: sicut.

Deus virtutum, converte nunc, et respice de caelo: et vide, et visita vineam istam.

Et dirige eam, quam plantavit dextera tua: et super filium hominum quem confirmasti tibi.

Incensa igni et effossa manu: ab increpatione vultus tui peribunt.

Fiat manus tua super virum: et super filium hominis quem confirmasti tibi.

Et non discedimus a te; vivificabis nos: et nomen tuum invocabimus.

Domine Deus virtùtum, converte nos: et ostende fatiem tuam, et salvi erimus.

PSALMUS LXXX.

Exultate Deo adiutori nostro: iubilate Deo Iacob.

Sumite psalmum et date tympanum: psalterium cum cythara.

Canite in initio mensis tuba: in die insignis sollemnitatis vestrae.

Quia praeceptum in Israel est: et iuditium Deo Iacob.

Testimonium in Ioseph posuit eum: dum exiret de terra Aegypti.

Lingua, quam non noverat, audivit: divertit ab oneribus dorsum eius.

Manus enim in cophino servierunt: in tribulatione invocasti me, et liberavi te.

Exaudivi te in abscondito tempestatis: probavi te ad aquas contradictionis.

Audi, populus meus, et testificabor tibi: Israel, si me exaudies.

⁑ Non erit in te Deus recens: neque adorabis Deum f. 34
alienum.

4. hominum: hominis. W. M. — 7. virum: virum dexterae tuae. W. M. 13. PSALMUS *suppl. in hac ed.*; LXXX, *corr. ex* LXXV. — 15. psalterium: psalterium iocundum. W. M. — 22. Lingua: Linguam. W. M. 24. enim: eius. W. M. — 27. aquas: aquam. W. — 29. exaudies: exaudias: W. M.

Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti: dilata os tuum, et adimplebo illud.

Et non audivit populus meus vocem meam: et Israel non intendit mihi.

Et emisi illos secundum desideria cordis eorum: et ibunt in voluntatibus suis.

Si plebs mea audisset me, Israel si in viis meis ambulasset: ad nihilum inimicos eorum humiliassem, et super tribulantes eos misissem manum meam.

Inimici Domini mentiti sunt ei: et erit tempus eorum in aeternum.

Cibavit eos ex adipe frumenti: et de petra melle satiavit eos.*

PSALMUS LXXXI.

Deus stetit in synagoga deorum: in medio autem Deus discernit.

Quousque iudicatis iniquitatem: et personas peccatorum sumitis?

Iudicate pupillo et egeno: humilem et pauperem iustificate.

Eripite pauperem et egenum: de manu peccatorum liberate eos.

Nescierunt, neque intellexerunt: in tenebris ambulant.

Movebuntur omnia fundamenta terrae: ego dixi, Dii estis, et filii Excelsi omnes.

Vos autem tamquam homines moriemini: et sicut unus de principibus cadetis.

Exurge, Deus, iudica terram: quoniam tu hereditabis in omnibus gentibus.

5. emisi: misi. M. — 7. in viis meis: vias meas. W. — * *Al. ma. in marg.*: « Propitius esto Deus, ne derelinquas me. *(ant. noct. III fer. III hebd. II)*. Tu hereditabis in omnibus. » *ant. noct. I fer. IV, hebd. II.* — 14. PSALMUS: *add. in hac ed.*

Mitigasti omnem iram tuam: avertisti ab ira indignationis tuae.

✠ Converte nos, Deus salutaris noster: et averte iracundiam tuam a nobis. f. 35

Ne in aeternum irascaris nobis: aut extendas iram tuam a generatione et progenie.

Deus, tu convertens vivificabis nos: et plebs tua laetabitur in te.

Ostende nobis, Deus, misericordiam tuam: et salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus; quoniam loquetur pacem in plebem suam, et super sanctos suos: et in eos qui convertuntur coram ipso.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia et veritas obviaverunt sibi: iustitia et pax complexae sunt se.

Veritas de terra orta est: et iustitia de caelo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: et terra nostra dabit fructum suum.

Iustitia ante eum ambulabit: et ponet in via gressus suos. *)

LXXXV PSALMUS DAVID.

Inclina, Domine, aurem tuam et exaudi me: quoniam egenus et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus es: salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserere mihi, Domine: quoniam ad te clamavi tota die.

Laetifica animam servi tui: quoniam ad te, Domine, levavi animam meam.

Quoniam tu, Domine, suavis ac mitis es: et copiosus in misericordia omnibus invocantibus te.

3. iracundiam: iram. W. — 9. Deus: Domine. W. M. — 16. iustitia: *suppl. al. ma. sup. lin.* — *) *al. ma. in marg. add.:* « Tu hereditabis in omnibus gentibus. *(ant. noct. I fer. IV hebd. II.)* Custodi Deus animam » *ant. noct. seq.*

Auribus percipe, Domine, orationem meam: et intende voci deprecationis meae.

In die tribulationis meae clamavi ad te: quoniam exaudisti me.

Non est similis tibi in diis, Domine: et non est secundum opera tua.

Omnes gentes, quascumque fecisti, venient: et adorabunt coram te, Domine.

Et honorificabunt nomen tuum, Domine, quoniam magnus es tu: et faciens mirabilia tu es Deus solus.

Deduc me, Domine, in via tua: et ingrediar in veritate tua.

Laetetur cor meum: ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo: et glorificabo nomen tuum in aeternum.

Quia misericordia tua magna est super me: et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniusti insurrexerunt super me: et synagoga potentium quaesierunt animam meam.

. 35′. ⁑ Non proposuerunt te in conspectu suo: et tu, Domine Deus misericors et miserator, longanimis et multum misericors et verax.

Respice in me et miserere mei: da potestatem puero tuo, et salvum fac filium ancillae tuae.

Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me et confundantur: quoniam tu, Deus, adiuvisti me et consulatus es me.

PSALMUS DAVID LXXXVI.

Fundamenta eius in montibus sanctis: diligit Dominus portas Syon super omnia tabernacula Iacob.

Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei: memor ero Rahab et Babylonis scientibus te.

9. Domine: *om.* W. M. — 14. Deus meus: *add. al. ma. sup. lin.: 1 ma. in* W. M. — 21. Deus: *om.* W. — 26. Deus: Domine. W. M.

Ecce alienigenae et Tyrus et populus Aethiopum: hi fuerunt illic.

Mater Syon dicet, Homo; et homo factus est in ea: et ipse fundavit eam Altissimus.

Dominus narravit scripturas populorum et principum: horum qui fuerunt in ea.

Sicut laetantibus omnibus nobis: habitatio est in te.

PSALMUS LXXXVII.

Domine Deus salutis meae: in die clamavi et nocte coram te.

Intret oratio mea in conspectu tuo: inclina aurem tuam ad precem meam, Domine.

Quia repleta est malis anima mea: et vita mea ad infernum adpropiavit.

Aestimatus sum cum descendentibus in lacum: factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in monumentis, quorum non meministi amplius: et ipsi de manu tua expulsi sunt.

Posuerunt me in lacu inferiori: in tenebrosis et umbra mortis.

In me confirmata est ira tua: et omnes elationes tuas super me induxisti.

Elongasti notos meos a me: posuerunt me in abominationem sibi.

Traditus sum et non egrediebar: oculi mei infirmati sunt prae inopia.

Clamavi ad te, Domine, tota die: expandi manus meas ad te.

Numquid mortuis fatiens mirabilia: aut medici suscitabunt et confitebuntur tibi?

Numquid enarrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam: aut veritatem tuam in ‡ perditione? f. 3

3. Mater: *corr. ex* Pater, *ut requirit contextus.* — 5. narravit: narrabit. W. M. — 8. PSALMUS: *add. in hac ed.* — 29. fatiens: faties. W. — 31. enarrabit: *bis in cod.*

Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua: aut iustitia tua in terra obliterata?

Et ego, Deus, ad te clamavi: et mane oratio mea praeveniet te.

Ut quid, Domine, repulisti animam meam: avertis faciem tuam a me?

Egenus sum ego et in laboribus a iuventute mea: exaltatus autem et humiliatus sum et confusus.

In me pertransierunt irae tuae: et terrores tui conturbaverunt me.

Circumdederunt me sicut aqua tota die: circumdederunt me simul.

Elongasti a me amicum: et proximos meos a miseria mea. *)

PSALMUS LXXXVIII.

Misericordias tuas, Domine: in aeternum cantabo.

In generatione et progenie: pronuntiabo veritatem tuam in ore meo.

Quoniam dixisti, In aeternum misericordia aedificabitur: in caelis praeparabitur veritas tua.

Disposui testamentum electis meis: iuravi David servo meo.

Usque in aeternum praeparabo semen tuum: et aedificabo in generatione et progenie sedem tuam.

Confitebuntur caeli mirabilia tua, Domine: et veritatem tuam in ecclesia sanctorum.

Quoniam quis in nubibus aequabitur Domino? aut quis similis erit Deo inter filios Dei?

Deus, qui glorificatur in consilio sanctorum: magnus et metuendus super omnes qui in circuitu eius sunt.

3. Deus: Domine. W. M. — 8. et: *om.* W. M. — 13. proximos: proximum, et notos. W. M. — *) *M. ma. in marg. add.* «Custodi animam meam, Domine, quoniam sanctus es. *(ant. noct. II fer. IV hebd. II)* In caelis praeparabitur.» *ant. noct. seq.* — 15. PSALMUS: *suppl. in hac ed.*

Domine Deus virtutum, quis similis tibi? potens es, Domine, et veritas tua in circuitu tuo.

Tu dominaris potestatem maris: motum autem fluctuum eius tu mitigas.

Tu humiliasti sicut vulneratum superbum: et in virtute brachii tui dispersisti inimicos tuos.

Tui sunt caeli et tua est terra: orbem terrarum et plenitudinem eius tu fundasti.

Aquilonem et mare tu creasti: Thabor et Hermon in nomine tuo exultabunt.

Tuum brachium cum potentia: firmetur manus tua, et exaltetur dextera tua.

Iustitia et iuditium praeparatio sedis tuae: misericordia et veritas praevenient ante fatiem tuam.

Beatus populus qui scit iubilationem, Domine: in lumine vultus tui ambulabunt.

Et in nomine tuo exultabunt tota die: et in tua iustitia exaltabuntur.

Quoniam gloria virtutis eorum tu es: et in tua iustitia exaltabitur cornu nostrum.

Quia Domini est assumptio nostra: et sancti Israel, Regis nostri.

‡ Tunc locutus est in aspectu filiis tuis: et dixisti, f. 36
Posui adiutorium super potentem.

Et exaltavi electum de populo meo; inveni David servum meum: oleo sancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliabitur ei: et brachium meum confortavit eum.

Nihil profitiet inimicus in eo: et filius iniquitatis non adiitiet nocere eum.

Et concidam a fatie eius inimicos eius: et odientes eum in fugam convertam.

3. potestatem: potestati. W. M. — 15. in: et in. W. M. — 21. sancti: sanctus. W. M. — 25. Et exaltavi: Exaltavi. W. M. — 26. oleo: *al. ma. sup. lin. suppl.:* et in oleo.

Et veritas mea et misericordia mea cum eo: et in nomine meo exaltabitur cornu eius.

Et ponam in mari manum eius: et in fluminibus dexteram eius.

Ipse invocavit me, Pater meus es tu: Deus meus et susceptor salutis meae.

Et ego primogenitum ponam illum: excelsum prae regibus terrae.

In aeternum custodiam illi misericordiam meam: et testamentum meum fidele ipsi.

Et ponam in saeculum saeculi semen eius: et sedem eius sicut dies caeli.

Si dereliquerint filii eius legem meam: et in iuditiis meis non ambulaverint.

Si iustitias meas profanaverint: et mandata mea non custodierint.

Visitabo in virga iniquitates eorum: et in flagellis peccata eorum.

Misericordiam autem meam non disperdam ab eis: neque nocebo eos in veritate mea.

Sed neque profanabo testamentum meum: et quae procedunt per labia mea non fatiam irrita.

Semel iuravi in sancto meo: si David mentiar.

Semen eius in aeternum manebit; et sicut sol in conspectu meo: et sicut luna perfecta in aeternum, et testis in caelo fidelis.

Tu autem expulisti et sprevisti nos, distulisti Christum tuum: avertisti testamentum servi tui, profanasti in terra sanctitatem eius.

Destruxisti omnes macerias eius: posuisti munitiones eius in formidinem.

Diripuerunt eum omnes transeuntes viam: factus est in opprobrium vicinis suis.

5. invocavit: invocabit. W. M. — 24. et sicut: et sedes ejus sicut. W. M.

Exaltasti dexteram inimicorum eius: laetificasti omnes inimicos eius.

Avertisti adiutorium gladii eius: et non es auxiliatus ei in bello.

Dissolvisti eum ab emundatione: et sedem eius in terra collisisti.

Minorasti dies temporis eius: profudisti eum ‡ in f. 37.
confusione.

Usquequo, Deus, averteris in finem: exardescit sicut ignis ira tua?

Memorare quae mea substantia: numquid vane constituisti filios hominum?

Quis est homo qui vivit et non videbit mortem? eripiens animam eius de manu inferi?

Ubi sunt misericordiae tuae antiquae, Domine: quas iurasti David in veritate tua?

Memor esto opprobrium servorum tuorum: quod continui in sinu meo, multarum gentium.

Quod exprobraverunt inimici tui, Domine: quod exprobraverunt commutationem Christi tui.

Benedictus Dominus in aeternum: fiat, fiat.

PSALMUS DAVID LXXXIX.

Domine, refugium factus es nobis: a generatione et progenie.

Priusquam montes fierent, aut firmaretur orbis terrae: a saeculo et in saeculum tu es.

Ne avertas hominem in humilitate: et dixisti, Convertimini, filii hominum.

Quoniam mille anni ante oculos tuos, Domine, sicut hesterna dies quae praeteriit: et sicut custodia in nocte.

Quia pro nihilo habentur anni eorum; mane sicut

6. terra: terram. W. M. — collisisti: *corr. ex.* collixisti. — 17: opprobrium: opprobrii. M. — 19. *post* exprobraverunt, *al. ma. add.* inimici, *in marg.* — 20. commutationem: in commutatione. W. M. — 22. LXXXIX: *corr. ex* LXXXVIII. — 27. humilitate: humilitatem. W. M.

herba transeat; mane floreát et pertranseat: vespere decidat, induret et arescat.

Quoniam defecimus in ira tua: et in furore tuo conturbati sumus.

Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo: saeculum nostrum in inluminàtione vultus tui.

Quoniam omnes dies nostri defecerunt: et in ira tua defecimus.

Anni nostri sicut aranea meditabuntur: dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta annis.

Si autem in potentatibus octuaginta anni: et amplius eorum labor et dolor.

Quoniam supervenit mansuetudo super nos: et corripiemur.

Quis novit potestatem irae tuae: aut prae timore iram tuam dinumerare?

Dexteram tuam sic notam fac nobis: et eruditos corde in sapientia.

Convertere, Domine, aliquantulum: et deprecare super servos tuos.

Repleti sumus mane misericordia tua: et exultavimus et delectati sumus in omnibus diebus nostris.

Delectati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti: annis in quibus vidimus mala.

f. 37'. Et respice in servos tuos: et in opera tua, Deus, ‡ et dirige filios eorum.

Et sit splendor Domini Dei nostri super nos: et opera manuum nostrarum dirige super nos, et opus manuum nostrarum dirige.

PSALMUS XC.

Qui habitat in adiutorio Altissimi: in protectione Dei caeli commorabitur.

19. deprecare: deprecabilis esto. W. M. — 25. Deus et: Domine. W. M. — 27. et opera: opera. W. M. — 30. PSALMUS XC: *corr. ex.* LXXXVIIII.

Dicet Domino, Susceptor meus es, et refugium meum: Deus meus, sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium: et a verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi: et sub pennis eius sperabis.

Scuto circumdabit te veritas eius; non timebis a timore nocturno: et a iaculo volante per diem.

A negotio perambulante in tenebris: et a ruina et daemonio meridiano.

Cadent a latere tuo mille et dena millia a dextris tuis: ad te autem non approximabunt.

Verumtamen oculis tuis considerabis: et retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es, Domine, spes mea: altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedent ad te mala: et flagellum non appropiavit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis suis mandavit de te: ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: ne quando offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem et basiliscum ambulabis: et conculcabis leonem et draconem.

Quoniam in me sperabit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

Invocavit me, et ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione.

Eripiam eum et glorificabo eum, longitudine dierum adimplebo eum: et ostendam illi salutare meum. *)

3. liberavit: liberabit. W. M. — 9. et a ruina: a ruina. W. M. — 17. accedent: accedant. W. M. — ad te: *corr. ex* ate. — 25. sperabit: *corr. ex* sperabis. — 27. Invocavit: Invocabit. W. M. — 29. longitudine: *corr. ex* longitudinem. — *) *In marg. al. ma.:* « In caelis praeparabitur veritas tua, Domine, *(ant. noct. III, fer. IV, hebd. II.)*. Die Jovis. fer. V. Bonum est confiteri ». *ant. noct. I.*

PSALMUS DAVID XCI.

Bonum est confiteri Domino: et psallere nomini tuo, Altissime.

Ad annuntiandum mane misericordiam tuam: et veritatem tuam per noctem.

In decacordo psalterio: cum cantico et cythara.

Quia delectasti me, Domine, in factura tua: et in operibus manuum tuarum exultabo.

Quam magnificata sunt opera tua, Domine: nimis profundae factae sunt cogitationes tuae.

Vir insipiens non cognoscit: et stultus non intelligit ea.

Cum exoriantur peccatores sicut foenum: et prospexerint omnes qui operantur iniquitatem.

f. 38. Ut intereant in saeculum saeculi: tu autem ‡ Altissimus in aeternum, Domine.

Quoniam ecce inimici tui; quoniam ecce inimici tui peribunt: et dispergentur omnes qui operantur iniquitatem.

Et exaltabitur sicut unicornù cornu meum: et senectus mea in misericordia uberi.

Et respexit oculus meus inimicos meos: et insurgentes in me malignantes audit auris mea.

Iustus ut palma florebit: sicut cedrus, quae est in Libano, multiplicabitur.

Plantati in domo Domini: in atriis domus Dei nostri florebunt.

Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi: et bene patientes erunt ut annuntient.

Quoniam iustus Dominus Deus noster: et non est iniquitas in eo.

PSALMUS DAVID XCII.

Dominus regnavit, decorem induit: induit Dominus fortitudinem, et praecinxit se virtute.

1. XCI: *corr. ex* LXXXX. — 10. factae sunt: sunt factae. M. — 12. exoriantur: exorientur. W. M. — 16. tui: W. M. *add.* Domine. — 18. unicornu: unicornis. W. M. — 20. et insurgentes: W. M. *om.* et. — 30. XCII. *corr. ex* LXXXI.

Etenim firmavit orbem terrae: qui non commovebitur.

Parata sedes tua, Deus: ex tunc a saeculo tu es.

Elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt flumina voces suas: a vocibus aquarum multarum.

Mirabiles elationes maris: mirabilis in altis Dominus.

Testimonia tua credibilia facta sunt nimis: domum tuam decet sanctificatio, Domine, in longitudinem dierum.

PSALMUS DAVID XCIII.

Deus ultionum Dominus: Deus ultionum libere egit.

Exaltare qui iudicas terram: redde retributionem superbis.

Usquequo peccatores, Domine: usquequo peccatores gloriabuntur?

Pronuntiabunt et loquentur iniquitatem: loquentur omnes qui operantur iniquitatem?

Populum tuum, Domine, humiliaverunt: et hereditatem tuam nocuerunt.

Viduam et pupillos interfecerunt: et advenam occiderunt.

Et dixerunt, Non videbit Dominus: neque intelliget Deus Iacob.

Intellegite nunc, insipientes in populo: et stulti, aliquando sapite.

Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?

Qui corripit gentes, nonne arguet: qui docet hominem scientiam?

Dominus scit cogitationes hominum: quoniam vanae sunt.

Beatus homo, quem tu erudieris, Domine: et de lege tua docueris eum.

Ut mitiges eum a diebus multorum malis: donec fodiatur peccatori fovea.

1. commovebitur: movebitur. W. M. — 8. XCIII: *corr. ex* LXXXII. 9. ultionum: ultionem. W. — 33. fovea: *corr. ex* foveam.

f. 38'. ⁑ Quia non repellet Dominus plebem suam: et hereditatem suam non derelinquet.

Quoadusque iustitia convertatur in iudicium: et contineant eam omnes qui recto sunt corde.

Quis exurget mihi adversus malignantes? aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem?

Nisi quia Dominus adiuvabat me: paulominus habitaverat in inferno anima mea.

Si dicebam, Motus est pes meus: misericordia tua, Domine, adiuvabat me.

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo: exhortationes tuae delectaverunt animam meam.

Numquid adhaeret tibi sedes iniquitatis: qui fingis dolorem in praecepto?

Captabunt animam iusti: et sanguinem innocentem condemnabunt.

Et factus est mihi Dominus in refugium: et Deus meus in auxilium spei meae.

Et reddet illis Dominus secundum iniquitatem ipsorum: et secundum malitiam eorum disperdet eos Dominus Deus noster.*)

PSALMUS XCIIII.

Venite, exsultemus in Domino: iubilemus Deo salutari nostro.

Praeveniamus fatiem eius in confessione: et in psalmis iubilemus illi.

Quoniam Deus magnus Dominus: et Rex magnus super omnes deos.

Quoniam in manu eius sunt omnes fines terrae: et altitudines montium ipsius sunt.

Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud: et aridam fundaverunt manus eius.

8. anima mea: *corr. ex* animam meam. — *) *In marg. al. ma. add.* « Bonum est confiteri Domino Deo nostro *(ant. noct. I, fer. V.)*. Iubilemus Deo » *ant. noct. seq.* — 22. PSALMUS XCIIII: *corr. ex* LXXXIII.

Venite, adoremus et procidamus ante Deum: ploremus coram Domino qui fecit nos.

Quia ipse est Dominus Deus noster: nos autem populus eius et oves manus eius.

Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra: sicut in exacerbatione.

Secundum diem temptationis in deserto, ubi temptaverunt me patres vestri: probaverunt et viderunt opera mea.

Quadraginta annis proximus fui generationi huic: et dixi, Semper hi errant corde.

Ipsi autem non cognoverunt vias meas: quibus iuravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.

PSALMUS XCV.

Cantate Domino canticum novum: cantate Domino, omnis terra.

Cantate Domino, benedicite nomen eius: bene annuntiate de die in diem salutare eius.

Annuntiate inter gentes gloriam eius: in omnibus populis mirabilia eius.

Quoniam magnus Dominus et laudabilis nimis: terribilis est super omnes deos.

‡ Quoniam omnes dii gentium daemonia: Dominus au- f. 39
tem caelos fecit.

Confessio et speties in conspectu eius: sanctitas et magnificentia in sanctificatione eius.

Afferte Domino, patriae gentium, afferte Domino gloriam et honorem: afferte Domino gloriam nomini eius.

Tollite hostias et introite in atria eius: adorate Dominum in atrio sancto eius.

Commoveatur a fatie eius omnis terra; dicite in nationibus quia Dominus regnavit: etenim correxit orbem terrae qui non movebitur.

1. Deum: eum. W. M. — 20. nimis: valde. W. M. — 21. est: *om.* W. M. — 22. Dominus: Deus. W. M. — autem: autem noster. W. M. — 32. movebitur: commovebitur. M.

Iudicabit populos in aequitate: laetentur caeli et exultet terra.

Moveatur mare et plenitudo eius: gaudebunt campi et omnia quae in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum ante fatiem Domini, quoniam venit: quoniam venit iudicare terram.

Iudicabit orbem terrae in aequitate: et populos in veritate sua.

PSALMUS XCVI.

Dominus regnavit, exultet terra: laetentur insulae multae.

Nubes et caligo in circuitu eius: iustitia et iuditium correctio sedis eius.

Ignis in conspectu eius praecedet: et inflammabit in circuitu inimicos eius.

Illuxerunt fulgora eius orbi terrae: vidit et commota est terra.

Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini: a facie Domini omnis terra.

Annuntiaverunt caeli iustitiam eius: et viderunt omnes populi gloriam eius.

Confundantur omnes qui adorant sculptilia: qui gloriantur in simulacris suis.

Adorate eum, omnes Angeli eius: audivit, et laetata est Syon.

Et exultaverunt filiae Iudae: propter iuditia tua, Domine.

Quoniam tu es Dominus altissimus super omnem terram: nimis exaltatus es super omnes deos.

Qui diligitis Dominum, odite malignitatem; custodit Dominus animas servorum suorum: de manu peccatorum liberabit eos.

Lux orta est iusto: et rectis corde laetitia.

9. PSALMUS XCVI: *corr. ex* LXXXV. — 16. eius: tua. W. M. — 31. suorum, de: tuorum, et de: W: suorum, et de. M.

Laetamini iusti in Domino: et confitemini memoriae sanctitatis eius. *)

PSALMUS XCVII.

Cantate Domino canticum novum: quia mirabilia fecit Dominus.

Et salvavit ei dexteram eius: et brachium sanctum eius.

Notum fecit Dominus salutare suum: ante conspectum gentium revelavit iustitiam suam.

Memor fuit misericordiae suae Iacob: et veritatis suae domui Israel.

Viderunt omnes ‡ fines terrae salutare Dei nostri; f. 39'
iubilate Deo, omnis terra: cantate et exultate et psallite.

Psallite Domino in cithara: in cithara, et in voce psalmi.

In tuba abietum et voce tubae corneae: iubilate in conspectu Regis Domini.

Moveatur mare et plenitudo eius: orbis terrarum et universi qui habitant in eo.

Flumina plaudent manibus in idipsum; montes exultaverunt ante fatiem Domini, quoniam venit: quoniam venit iudicare terram.

Iudicabit orbem terrae in iustitia: et populos in aequitate.

PSALMUS XCVIII.

Dominus regnavit, irascantur populi: qui sedes super Cherubim, moveatur terra.

Dominus in Syon magnus: et excelsus super omnes deos.

Confiteantur omnes nomini tuo magno, quia terribile et sanctum est: et honor regis iuditium diligit.

Tu parasti aequitatem: iuditium et iustitiam in Iacob tu fecisti.

*) *In marg. al. ma.* « Iubilemus Deo salutari nostro *(ant. noct. II, fer. V, hebd. II.)* Iubilate » *ant. noct. seq.* — 3. PSALMUS XCVII: *corr. ex* LXXXVI. — 13. et. *om.* W. M. — 18. exultaverunt: exultabunt. W. M. — 23. PSALMUS XCVIII. *corr. ex* LXXXVII.

Exaltate Dominum Deum nostrum: et adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctus est.

Moyses et Aaron in sacerdotibus eius: et Samuhel inter eos qui invocant nomen eius.

Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos, et in columna nubis loquebatur ad eos.

Quia custodiebant testimonia eius: et praecepta eius quae dederat illis.

Domine Deus noster, tu exaudiebas eos: Deus, tu propitius fiebas illis, et vindicans in omnia studia eorum.

Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate in monte sancto eius: quoniam sanctus est Dominus Deus noster.

PSALMUS XCVIIII.

Iubilate Deo, omnis terra: servite Domino in laetitia.

Introite in conspectu eius in exultatione: scitote quoniam Dominus ipse est Deus.

Ipse fecit nos, et non ipsi nos: nos autem populus eius et oves pascuae eius.

Intrate portas eius in confessione: atria eius in hymnis.

Confitemini ei, laudate nomen eius; quoniam suavis est Dominus: in aeternum misericordia eius, et usque in saeculum saeculi veritas eius.

PSALMUS C.

Misericordiam et iuditium cantabo tibi, Domine: psallam et intelligam in via immaculata, quando venies ad me.

Perambulabam in innocentia cordis mei: in medio domus tuae.

f. 40. ‡ Non proponebam ante oculos meos rem iniustam: fatientes praevaricationes odivi.

Non adhaesit mihi cor pravum: declinantem a me non agnoscebam.

13. PSALMUS XCVIIII: *corr. ex* LXXXVIII. — 19. atria: et atria. M. — 23. PSALMUS C: *corr. ex* LXXXVIIII. — 30. a me: a me malum. W. M.

Detrahentem in occulto adversus proximum suum: hunc persequebar.

Superbo oculo et insatiabili corde: cum hoc simul non edebam.

Oculi mei super fideles terrae: ut simul sedeant hi mecum.

Ambulans in via immaculata: hic mihi deserviebat.

Non habitabit in medio domus meae fatiens superbiam: loquens iniusta non direxit ante oculos meos.

In matutinis interfitiebam omnes peccatores terrae: ad exterminandum de civitate Domini omnes qui operantur iniquitatem. *)

PSALMUS DAVID CI. ORATIO CORAM DOMINO.

Domine, exaudi orationem meam: et clamor meus ad te perveniat.

Ne avertas fatiem tuam a me: in quacumque die tribulor, inclina aurem tuam ad me.

In quacumque die invocavero te: cito exaudi me.

Quoniam defecerunt sicut fumus dies mei: et ossa mea sicut frixorio confrixa sunt.

Percussus sum sicut foenum, et aruit cor meum: quoniam oblitus sum manducare panem meum.

A voce genitus mei: adhaesit os meum carni meae.

Similis factus sum pellicano in solitudine: factus sum nicticorax in domicilio.

Vigilavi: et factus sum sicut passer singularis in aedificio.

Tota die exprobrabant me inimici mei: et qui laudabant me, adversum me iurabant.

Quoniam cinerem sicut panem manducavi: et potum meum cum fletu miscebam.

*) *In marg. al. ma.* « Iubilate in conspectu regis Domini *(ant. noct. III, fer. V.)* Clamor meus. » *ant. noct. I fer. VI hebd. II.* — 13. CI: *corr. ex* C. — 19. dies: *corr. ex* diei. — 24. factus sum: factus sum sicut. W. et f. s. sicut M.

A fatie irae tuae et indignationis tuae: quoniam extollens elisisti me.

Dies mei sicut umbra declinati sunt: et ego velut foenum arui.

Tu autem, Domine, in aeternum manes: et memoriale tuum in generatione et progenie.

Tu exurgens misereberis Syon, quoniam venit tempus miserendi eius: quoniam venit tempus.

Quoniam beneplacitum habuerunt servi tui lapides eius: et pulveris eius miserebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum, Domine: et omnes reges terrae gloriam tuam.

Quia aedificavit Dominus Syon: et videbitur in maiestate sua.

Et respexit in orationes humilium: et non sprevit preces eorum.

Scribantur haec in generatione altera: et plebs, quae creabitur, laudabit Dominum.

f. 40r. ✠ Quoniam prospexit ex alto sancto suo: Dominus de caelo in terram pospexit.

Ut audiret gemitum vinculatorum: ut solvat filios morti afflictorum.

Ut annuntietur in Syon nomen Domini: et laus eius in Ierusalem.

In conveniendo populos in unum: et reges ut serviant Domino.

Et respondit illis in via virtutis suae: paucitatem dierum meorum annuntia mihi.

Ne educas me in dimidium dierum meorum: in generatione et generatione anni tui.

Ab initio terram tu fundasti, Domine: et opera manuum tuarum sunt caeli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes; et omnia sicut ve-

7. venit : *al. ma. super litt.* 1. *ma. evanidas : om.* W. M. — 11. tuum Domine: Domini. W. M.

stimentum veterescent: et tamquam opertorium mutabis ea et mutabuntur.

Tu autem idem ipse es: et anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum inhabitabunt in ea: et semen eorum in aeternum dirigetur.

PSALMUS CII.

Benedic, anima mea, Dominum: et omnia interiora mea, nomen sanctum eius.

Benedic, anima mea, Dominum: et noli oblivisci omnes retributiones eius.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes languores tuos.

Qui liberat de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia et miseratione.

Qui implet in bonis desiderium tuum: renovabitur sicut aquila iuventus tua.

Fatiens misericordias Dominus: et iuditium omnibus iniuriam patientibus.

Notas fecit vias suas Moysi: filiis Israel voluntates eius.

Misericors et miserator Dominus: patiens et multae misericordiae.

Non in finem irascetur: neque in aeternum indignabitur.

Non secundum peccata nostra fecit nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

Quia secundum altitudinem caeli a terra: confirmavit Dominus super timentes eum.

Quantum interiacet ab ortu et occasu: elongavit a nobis iniquitates nostras.

Sicut miseretur pater filiis: ita misertus est Dominus timentibus eum.

Quia ipse cognovit figmentum nostrum: memor fuit quoniam pulvis sumus.

Homo tamquam foenum dies eius: et sicut flos agri ita florebit.

25. super: misericordiam super. M. misericordiam suam super. W.

Quoniam spiritus pertransiet in eo, et non erit: et non cognoscetur amplius locus eius.

Misericordia vero Domini a saeculo et in saeculum: super timentes eum.

Et iustitia eius super filios filiorum, custodientibus testamentum eius: et memoria tenentibus mandata eius ut fatiant ea.

Dominus in caelo paravit sedem suam: et regnum
f. 41. eius omnium ‡ dominabitur.

Benedicite Dominum, omnes Angeli eius; potentes virtutes eius, fatientes verbum eius: ad audiendam vocem sermonum eius.

Benedicite Dominum, omnes virtutes eius: ministri eius qui facitis voluntates eius.

Benedicite Dominum, omnia opera eius, in omni loco dominationis eius: benedic, anima mea, Dominum.

PSALMUS CIII.

Benedic, anima mea, Dominum: Domine Deus meus, magnificatus es valde.

Confessionem et spetiem induisti: circumamictus es lumen sicut vestimento.

Extendens caelum sicut pellem: qui tegit in aquis superiora eius.

Qui ponit nubem ascensum suum: qui ambulat super pennas ventorum.

Qui facit angelos suos spiritus: et ministros suos ignem ardentem.

Qui fundavit terram super stabilitatem eius: non inclinabitur in saeculum saeculi.

Abyssus, sicut vestimentum, opertorium eius: super montes stabunt aquae.

11. virtutes eius: W. M. *om.* eius. — 16. dominationis: sedes dominationis. W. — 21. lumen: lumine. W. M.

Ab increpatione tua fugient: a voce tonitrui tui formidabunt.

Ascendunt montes, et descendunt campi: in locum quem fundasti eis.

Terminum posuisti quem non praeteribunt: neque avertentur operire terram.

Qui emittit fontes in convallibus: inter medium montium pertransibunt aquae.

Potabunt omnes bestiae agri: exspectabunt onagri in siti sua.

Super ipsa volatilia caeli inhabitabunt: de medio petrarum dabunt voces.

Rigans montes de superioribus suis: a fructu operum tuorum satiabitur terra.

Producens foenum pecoribus: et herbam servituti hominum.

Ad producendum panem de terra: et vinum laetificat cor hominis.

Ut exhilaret vultum in oleo: et panis cor hominis confirmet.

Satiabuntur ligna campi: et cedri Libani quas plantavit.

Ibi passeres nidificabunt: sturni domus ducatum eis praebet.

Montes excelsi cervis: petra refugium herinatiis.

Fecit lunam in tempore; sol agnovit occasum suum; posuisti tenebras, et facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiae silvarum.

Catuli leonum rugientes: rapere et querere a Deo escam sibi.

Ortus es sol, et congregati sunt: et in cubilibus suis cubabunt.

Exiet homo ad opus suum: et ad operationem suam usque ad vesperum.

Quam magnificata sunt opera tua, Domine: omnia in sapientia fecisti; repleta est terra creatura tua.

5. quem: *corr. ex* quae.

. 41r. ‡ Hoc mare magnum et spatiosum: ibi repentia quorum non est numerus.

Animalia pusilla cum maioribus: illic naves perambulant.

Draco hic quem finxisti ad illudendum ei: omnes a te expectant, ut des escam illis in tempore opportuno.

Dante autem te sibi, colligent: aperiente te manum tuam, adimplebuntur iocunditate.

Avertente autem te fatiem tuam, turbabuntur: auferes spiritum ipsorum, et defitient, et in pulverem suum convertentur.

Emitte spiritum tuum, et creabuntur: et renovabis fatiem terrae.

Sit gloria Domini in aeternum: laetabitur Dominus in operibus suis.

Qui aspicit super terram, et facit eam tremere: qui tangit montes, et fumigabunt.

Cantabo Domino in vita mea: psallam Deo meo, quam diu ero.

Suavis sit ei disputatio mea: ego vero delectabor in Domino.

Deficiant peccatores a terra, et iniusti ita ut non sint: benedic, anima mea, Dominum. *)

PSALMUS CIIII.

Confitemini Domino: et invocate nomen eius.

Annuntiate inter gentes magnalia eius, cantate illi et psallite ei: narrate omnia mirabilia eius.

Laudamini in nomine sancto eius: laetetur cor quaerentium Dominum.

Quaerite Dominum et confirmamini: quaerite fatiem eius semper.

Mementote mirabilium eius quae fecit: prodigia eius et iuditia oris eius.

14. in operibus: in omnibus operibus. W. M. — *) *In marg. al. ma.:* « Clamor meus, Domine, ad te perveniat. *(ant. noct. I, fer. VI, hebd. II.)*. Laetetur cor. » *Ant. noct. seq.* — 23. PSALMUS: *suppl. in hac ed.* — 31. eius: *om.* W.

Semen Abraham, servi eius: filii Iacob, electi eius.

Ipse Dominus Deus noster: in universa terra iuditia eius.

Memor fuit in saeculum testamenti sui: verbi, quod mandavit in mille generationes.

Quod disposuit ad Abraham: et iuramenti sui Isaac.

Statuit illud in Iacob in praeceptum: et Israel in testamentum aeternum.

Dicens, Tibi dabo terram Chanaan: funiculum hereditatis vestrae.

Cum essent numero breves: paucissimi et incolae in ea.

Et pertransierunt de gente in gentem: et de regno ad populum alterum.

Non permisit hominem nocere eos: et corripuit pro eis reges.

Nolite tangere christos meos: et in prophetis meis nolite malignari.

Et vocavit famem super terram: et omne ‡ firmamentum panis contrivit. f. 42

Misit ante eos hominem: in servum venumdatus est Ioseph.

Humiliaverunt in compedibus pedes eius; ferrum pertransivit animam eius: donec veniret verbum eius.

Eloquium Domini ussit eum, misit rex, et solvit eum: princeps populorum et dimisit eum.

Constituit eum dominum domus suae: et principem omnis possessionis suae.

Ut erudiret principes suos sicut se: et seniores suos prudentiam doceret.

Et intravit Israel in Aegyptum: et Iacob habitavit in terra Cham.

Et auxit populum suum nimis: et firmavit eum super inimicos eius.

6. Isaac: W *1 ma.*: ad Isaac, *sed post ea abr.* ad. — 7. Statuit.... in Iacob: Statuet.... Iacob. W. M. — 18. omne: *corr. ex* omnem. — 20. venumdatus: et venumdatus. W. — 27. Ut: *corr. ex* Et, *cum* W *et* M.

Convertit cor eorum, ut odirent populum suum: et dolum facerent in servos eius.

Misit Moysen servum suum: et Aaron quem elegit ipsum.

Posuit in eis verba signorum suorum: et prodigiorum in terra Cham.

Misit tenebras et obscuravit eos: quia exacerbaverunt verbum eius.

Convertit aquas eorum in sanguinem: et occidit pisces eorum

Misit terra eorum ranas: et in cubilibus penetralibus regum ipsorum.

Dixit, et venit musca canina: et cinifes in omnibus finibus eorum.

Posuit pluvias eorum in grandinem: ignem comburentem terram ipsorum.

Et percussit vineas eorum et ficulneas eorum: et contrivit omne lignum finium eorum.

Dixit, et venit locusta et bruchus cuius non erat numerus: et comedit omnem fructum terrae eorum.

Et percussit omne primogenitum in terra Aegypti: primitias omnis laboris ipsorum.

Et eduxit eos in argento et auro: et non erat in tribubus eorum infirmus.

Laetata est Aegyptus in profectione eorum: quia cecidit timor eorum super eos.

Expandit nubem in protectione eorum: et ignem ut luceret eis per noctem.

Petierunt, et venit coturnix: et pane caeli satiavit eos.

Disrupit petram, et fluxerunt aquae: et abierunt in siccis flumina.

Quia memor fuit verbi sancti sui: quod fuit ad Abraham puerum suum.

1. odirent: odiret. M. — 5. prodigiorum: prodigiorum suorum. M. 7. obscuravit: obscurabit. W. — 11. terra: terrae. W. M. — 13. cinifes: *corr. ex* scinifes. — 17. ficulneas eorum: W. *om.* eorum.

Et eduxit populum suum in exultatione: et electos suos in laetitia.

Et dedit eis regiones gentium: et labores populorum ⁑ possidere fecit illos. f. 42'.

Ut custodiant iustificationes eius: et legem eius requirant.

PSALMUS CV.

Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in saeculum misericordia eius.

Quis loquetur potentias Domini: auditas fatiet omnes laudes eius?

Beati qui custodiunt iuditium: et fatiunt iustitiam in omni tempore.

Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui: visita nos in salutari tuo.

Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad laetandum in laetitia cum gente tua: ut lauderis cum hereditate tua.

Peccavimus cum patribus nostris: iniuste egimus, iniquitatem fecimus.

Patres nostri in Aegypto non intellexerunt mirabilia tua: et non fuerunt memores multitudinis misericordiae tuae.

Et irritaverunt ascendentes in Rubrum Mare, et liberavit eos propter nomen suum: ut notam faceret potentiam suam.

Et increpuit Mare Rubrum et siccavit: et eduxit eos in aquis multis, sicut in deserto.

Et liberavit eos de manu odientium: et redemit eos de manu inimicorum.

Operuit aqua tribulantes eos: unus ex his non remansit.

Et crediderunt in verbis eius: et cantaverunt laudes eius.

Cito fecerunt, obliti sunt operum Dei: et non sustinuerunt consilium eius.

7. PSALMUS: *suppl. in hac ed.* — 27. in aquis multis: *om.* M.

Et concupierunt concupiscentiam in deserto: et temptaverunt Deum in siccitate.

Et dedit eis petitiones ipsorum: et misit saturitatem in animas eorum.

Et irritaverunt Moysen in castris: et Aaron sanctum Domini.

Aperta est terra, et deglutivit Dathan: et operuit super synagogam Abiron.

Exarsit ignis in synagoga eorum: flamma combussit peccatores.

Et fecerunt vitulum in Choreb: et adoraverunt sculptile.

Et immutaverunt gloriam suam: in similitudinem vituli manducantis.

Obliti sunt Deum, qui liberavit eos: qui fecit magnalia in Aegypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in Mari Rubro.

Et dixit ut disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius: ut averteret iram eius, et ne disperderet eos.

Et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem: et non crediderunt in verbis eius.

Et murmuraverunt in tabernaculis suis: et non exaudierunt vocem Domini.

Et elevavit manum suam super illos, ut deiiceret eos in deserto: et ut deiiceret semen eorum in nationibus, et disperderet eos in regionibus.

f. 43. Et consecrati sunt Beelphegor ‡ et manducaverunt sacrificia mortuorum.

Et irritaverunt eum in observationibus suis: et multiplicata est in eis ruina.

Stetit Phinees et exoravit: et cessavit quassatio.

Et reputatum est illi ad iustitiam: in generatione et generatione usque in saeculum.

Et irritaverunt eum ad aquas contradictionis: et vexatus est Moyses propter eos.

13. manducantis: manducantis foenum. W. M. — 19. et ne: et non. W.

Quia exacerbaverunt spiritum eius: et distinxit in labiis suis.

Non disperdiderunt gentes quas dixit Dominus illis; et commisti sunt inter gentes: et didicerunt opera ipsorum, et servierunt sculptilibus eorum, et factum est illis in scandalum.

Et immolaverunt filios suos: et filias suas daemoniis.

Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum et filiarum: quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.

Interfecta est terra in sanguinibus: et contaminata est in operibus eorum.

Et fornicati sunt in studiis suis, et iratus est animo Dominus super populum suum: et abominatus est hereditatem suam.

Et tradidit eos in manus nationum: et dominati sunt eis qui oderunt eos.

Et tribulaverunt eos inimici ipsorum: et humiliati sunt sunt sub manibus eorum.

Saepe liberavit eos; ipsi autem exacerbaverunt eum in consiliis suis: et humiliati sunt in iniquitatibus suis.

Et respexit eos Dominus cum tribularentur in eo: cum exaudiret orationes eorum.

Et memor fuit testamenti sui: et poenituit eum secundúm multitudinem misericordiae suae.

Et dedit eos in misericordias: in conspectu omnium qui illos ceperat.

Salva nos, Domine Deus noster: et congrega nos de nationibus.

Ut confiteamur nomini sancto tuo: et gloriemur in laude tua.

Benedictus Dominus Deus Israel: a saeculo et usque in saeculum.

Et dicet omnis populus: Fiat, fiat.*)

7. Et: *om*, M. — *) *In marg. al. ma. add.:* « Laetetur cor quaerentium Dominum. *(Ant. noct. II, fer. VI, hebd. II)* Confiteantur Domino. » *ant. noct. seq.*

PSALMUS DAVID CVI.

Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in saeculum misericordia eius.

Dicant qui redempti sunt a Domino: quos redemit de manu inimicorum, de regionibus congregavit eos.

A solis ortu et occasu: ab Aquilone et mari.

Erraverunt in solitudine, in siccitate: viam civitatis habitaculi non invenerunt.

f. 43v. Esurientes, et sitientes: * anima eorum in ipsis defecit.

Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur: et de necessitatibus eorum eripuit eos.

Et deduxit eos in viam rectam: ut irent in civitatem habitationis.

Confiteantur Domino misericordiae eius: et mirabilia eius filiis hominum.

Quia satiavit animam inanem: et animam esurientem satiavit bonis.

Sedentes in tenebris et umbra mortis: vinculis ligatos inopia et in ferro.

Quia exacerbaverunt eloquium Domini: et consilium Altissimi irritaverunt.

Et humiliatum est in laboribus cor eorum: et infirmati sunt, nec fuit qui adiuvaret.

Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur: et de necessitatibus eorum liberavit eos.

Et eduxit eos de tenebris et umbra mortis: vincula eorum disrupit.

Confiteantur Domino misericordiae eius: et mirabilia eius filiis hominum.

Quia contrivit portas aereas: et vectes ferreos confregit.

Suscepit eos de via iniquitatis ipsorum: propter iniustitias enim suas humiliati sunt.

9. Esurientes.... defecit: *om.* W.

Omnem escam abominata est anima eorum: et appropiaverunt usque ad portas mortis.

Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur: et de necessitatibus eorum liberavit eos.

Misit verbum suum et sanavit eos: et eripuit eos de corruptionibus eorum.

Confiteantur Domino misericordiae eius: et mirabilia eius filiis hominum.

Et sacrificent sacrificium laudis: et pronuntient opera eius in exultatione.

Qui descendunt mare in navibus: fatientes operationem in aquis multis.

Ipsi viderunt opera Domini: et mirabilia eius in profundo.

Dixit, et stetit spiritus procellae: et exaltati sunt fluctus eius.

Ascendunt usque ad caelos, et descendunt usque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat.

Turbati sunt et moti sunt sicut ebrius: et omnis sapientia eorum deglutita est.

Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur: et de necessitatibus eorum eduxit eos.

Et percussit procellam, et stetit in auram, et siluerunt fluctus eius: et laetati sunt, quod siluerunt.

Et deduxit eos in portum voluntatis suae: et de necessitatibus eorum liberavit eos.

Confiteantur Domino misericordiae eius: et mirabilia eius filiis hominum.

Exaltent eum in ecclesia plebis: et in cathedra seniorum laudent eum.

Posuit flumina in desertum: et ‡ exitus aquarum in f. 44.
sitim.

Terram fructiferam in salsuginem: a malitia inhabitantium in ea.

17. descendunt: descendit. W. — 18-20. malis.... deglutita est: *suppl. al. ma. sup. lin.*

Posuit desertum in stagna aquarum: et terram sine aqua in exitus aquarum.

Et collocavit illic esurientes: et constituerunt civitatem habitationis.

Et seruerunt agros et plantaverunt vineas: et fecerunt fructum nativitatis.

Et benedixit eos, et multiplicati sunt nimis: et iumenta eorum non sunt minorata.

Pauci facti sunt et vexati sunt a tribulatione malorum: et dolore improperiorum.

Effusa est contentio super principes eorum: et seduxit eos in invio et non in via.

Et adiuvit pauperem de inopia: et posuit sicut oves patrias.

Videbunt recti et laetabuntur: et omnis iniquitas obturabit os suum.

Quis sapiens et intellegens haec? et intelleget misericordias Domini.

PSALMUS CVII.

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: cantabo et psallam in gloria mea.

Exurge, gloria mea, exurge, psalterium et cithara: exurgam diluculo.

Confitebor tibi in gentibus, Domine: et psallam tibi in nationibus.

Quia magna est super caelos misericordia tua: et usque ad nubes veritas tua.

Exaltare super caelos, Deus: et super omnem terram gloria tua.

Ut liberentur dilecti tui: salva dextera tua et exaudi me.

Deus locutus sancto suo, Laetabor et dividam Siccimam: et convallem tabernaculorum dimetiar.

17. intellegens: intelleget. W. M. — 22. et: in. W. — 26. caelos: caelos, Deus. W. — 30. Ut: *corr. ex* Et, *cum* W *et* M. — 31. locutus....: *seq. ras.:* locutus est in. W. M.

Meus Galaad et meus est Manasses: et Ephrem susceptio capitis mei.

Iudá rex meus, Moab olla spei meae: in Idumaeam extendam calceamentum meum, mihi alienigenae subditi sunt.

Quis deducet me in civitatem munitam? aut quis deducet me usque in Idumaeam?

Nonne tu, Deus, qui repulisti nos: et non egredieris in virtutibus nostris?

Da nobis auxilium de tribulatione: et vana salus hominum.

In Deo fatiemus virtutem: et ipse ad nihilum rediget inimicos nostros.

PSALMUS CVIII.

Deus, laudem meam ne tacueris: quia os peccatoris et os dolosi apertum est super me.

Locuti sunt adversum me lingua dolosa; et sermonibus odii circumdederunt me: et expugna-‡-verunt me gratis. f. 44r.

Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam.

Posuerunt adversum me mala pro bonis: et odium pro dilectione mea.

Constitue super eum peccatorem: et diabolus stet a dextris eius.

Cum iudicatur, exeat condemnatus: et oratio eius fiat in peccatum.

Fiant dies eius pauci: et episcopatum eius accipiat alter.

Fiant filii eius pupilli: et uxor eius vidua.

Commoti amoveantur filii eius et mendicent: et eiciantur de habitationibus suis.

Perscrutetur faenerator omnem substantiam eius: et diripiant alieni labores eius.

Non sit illi adiutor: nec sit qui misereatur pupilli eius.

1. Meus: Meus est. W. M. — 14. PSALMUS: *suppl. in hac ed.*

Fiant nati eius in interitum: in generatione una deleatur nomen eius.

In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini: et peccatum matris eius non deleatur.

Fiant contra Dominum semper: et dispereat de terra memoria eorum.

Pro eo quod non est recordatus facere misericordiam, et persecutus est hominem pauperem et egenum: et compunctum corde morti tradidit.

Et dilexit maledictionem, et veniet ei: et noluit benedictionem, et prolongabitur ab eo.

Et induit se maledictionem sicut vestimentum: et intravit sicut aqua in interiora eius; et sicut oleum in ossibus eius.

Fiat ei sicut vestimentum quo operietur: et sicut zona qua semper praecingitur.

Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Dominum: et qui loquuntur mala adversus animam meam.

Et tu, Domine Domine, fac mecum misericordiam propter nomen tuum: quia suavis est misericordia tua; Domine, libera me.

Quia egenus et pauper sum ego: et cor meum conturbatum est in me.

Sicut umbra, cum declinat, sublatus sum: et excussus sum sicut locusta.

Genua mea infirmata sunt a ieiunio: et caro mea immutata est propter oleum.

Et ego factus sum opprobrium illis: viderunt me et moverunt capita sua.

Adiuva me, Domine Deus meus: et salva me propter misericordiam tuam.

Et sciant quia manus tua haec est: et tu, Domine, fecisti eam.

5. Fiant: Fiat. W. M. — dispereat.... memoria: disperdat.... memoriam. W. — 32. Et sciant: Ut sciant. W.

Maledicent illi, et tu benedices; qui insurgunt in me, confundantur: servus autem tuus laetabitur.

Induantur qui detrahunt mihi reverentia: et operiant se, sicut diploide, con-‡-fusione sua. f. 45.

Confitebor Domino nimis in ore meo: et in medio multorum laudabo eum.

Qui astitit a dextris pauperis: ut salvam faceret a persequentibus animam meam. *)

PSALMUS CVIIII.

Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Syon: et dominaberis in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuae: splendoribus sanctorum ex utero ante Luciferum genui te.

Iuravit Dominus, et non poenitebit eum: Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.

Dominus a dextris tuis: confregit in die irae suae reges.

Iudicabit in nationibus, implebit ruinas: conquassabit capita super terram multorum.

De torrente in via bibit: propterea exaltavit caput.

PSALMUS DAVID CX.

Confitebor tibi, in toto corde meo: in consilio rectorum et congregatione magna opera Domini.

Exquisita in omnes voluntates eius; confessio et magnificentia opus eius: et iustitia eius manet in saeculum saeculi.

Memoriam fecit mirabilium suorum: misericors et miserator Dominus escam dedit timentibus se.

3. reverentia: pudore reverentia. W. — 5. et in: in. M. — *) *Al. ma. in marg.:* « Confiteantur Domino misericordiae eius. *(Ant. noct. III, fer. VI, hebd. II)* Dixit Dominus » *Ant. psalm. I Vesp. Dominic.* — 9. PSALMUS: *suppl. in hac ed.* — 14. splendoribus: in splendoribus. W. — 21. multorum: iustorum. M. — 24. tibi: tibi Domine. W.

Memor fuit in saeculum testamenti sui: virtutem operum suorum annuntiavit populo suo.

Ut det illis hereditatem gentium: opera manuum eius veritas et iuditium.

Fidelia omnia mandata eius, confirmata in saeculum saeculi: facta in veritate et aequitate.

Redemptionem misit Dominus populo suo; mandavit in aeternum testamentum suum: sanctum et terribile nomen eius.

Initium sapientiae timor Domini; intellectus autem bonus omnibus fatientibus eum: laudatio eius manet in saeculum saeculi.

PSALMUS CXI.

Beatus vir qui timet Dominum: in mandatis eius cupiet nimis.

Potens erit in terra semen eius: generatio rectorum benedicetur.

Gloria et divitiae in domo eius: et iustitia eius manet in saeculum saeculi.

Exortum est in tenebris lumen rectis corde: misericors et miserator et iustus Dominus Deus.

Iocundus homo qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in iudicio: quoniam in saeculum non commovebitur.

In memoria aeterna erit iustus: ab auditu malo non timebit.

45'. Paratum cor eius sperare ‡ in Domino, confirmatum est cor eius: non commovebitur, donec videat inimicos suos.

Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in saeculum saeculi.

Cornu eius exaltabitur in gloria; peccator videbit et irascetur: dentibus suis fremet et tabescet: desiderium peccatorum peribit.

2. annuntiavit: annuntiabit. M. — 22. disponet: disponit. W.

PSALMUS CXII.

Laudate, pueri, Dominum: laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum: ex hoc nunc et usque in saeculum.

A solis ortu usque ad occasum: laudate nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus: et super caelos gloria eius.

Qui sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat: et humilia respicit in caelo et in terra.

Suscitans a terra inopem: et de stercore erigens pauperem.

Ut collocet eum cum principibus: cum principibus populi sui.

Qui habitare fecit sterilem in domo: matrem filiorum laetantem.

PSALMUS CXIII.

In exitu Israel ex Aegypto: domus Iacob de populo barbaro.

Facta est Iudea sanctificatio eius: Israel potestas eius.

Mare vidit et fugit: Iordanis conversus est retrorsum.

Montes exultaverunt ut arietes: et colles sicut agni ovium.

Quid est mare quod fugisti: et tu, Iordanis, quare conversus es retrorsum?

Montes, quare exultastis ut arietes: et colles velut agni ovium?

A fatie Domini mota est terra: a fatie Dei Iacob.

Qui convertit petram in stagna aquarum: et rupem in fontes aquarum.

Non nobis, Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam.

Super misericordiam tuam et veritatem tuam: ne quando dicant gentes, Ubi est Deus eorum?

Deus autem noster in caelo sursum, in caelo et super terram: omnia quaecumque voluit, fecit.

Simulacra gentium, argentum et aurum: opera manuum hominum.

Os habent, et non loquentur: oculos habent, et non videbunt.

Aures habent, et non audient: nares habent, et non odorabunt.

Manus habent, et non palpabunt: pedes habent, et non ambulabunt.

Non clamabunt in gutture suo: neque enim est spiritus in ore ipsorum.

Similes illis fiant, qui fatiunt ea: et omnes qui confidunt in eis.

Domus Israel speravit in Domino: adiutor eorum et protector eorum est.

Domus Aaron speravit in Domino: adiutor eorum et protector eorum est.

Qui timent Dominum, speraverunt in Domino: adiutor eorum et protector eorum est.

Dominus memor fuit nostri et benedixit nos, benedixit domum Israel: benedixit domum Aaron.

f. 46. Benedixit omnes ⁑ timentes Dominum: pusillos cum maioribus.

Adiitiat Dominus super vos: super vos et super filios vestros.

Benedicti vos a Domino qui fecit caelum et terram: caelum caeli Domino; terram autem dedit filiis hominum.

Non mortui laudabunt te, Domine: neque omnes qui descendunt in infernum.

Sed nos, qui vivimus, benedicimus Dominum: ex hoc nunc et usque in saeculum.

PSALMUS CXIV.

Dilexi, quia audiet Dominus: vocem orationis meae.

Quia inclinavit aurem suam mihi: et in diebus meis invocabo eum.

Circumdederunt me dolores mortis: pericula inferni invenerunt me.

Tribulationem et dolorem inveni: et nomen Domini invocabo.

O Domine, libera animam meam: misericors Dominus et iustus, et Deus noster miseretur.

Custodiens parvulos Dominus: humiliatus sum et salvum me fecit.

Convertere animam meam in requiem tuam: quia Dominus benefecit mihi.

Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrimis: pedes meos a lapsu.

Complacebo Domino: in regione vivorum.

PSALMUS CXV.

Credidi, propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu mentis meae: omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino: pro omnibus quae retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam: et nomen Domini invocabo.

Pretiosa in conspectu Domini: mors sanctorum eius.

O Domine, ego servus tuus, ego servus tuus: et filius ancillae tuae.

Disrumpisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis.

Vota mea Domino reddam: in conspectu omnis populi eius.

In atriis domus Domini: in medio tui, Jerusalem.

PSALMUS CXVI.

Laudate Dominum, omnes gentes: et conlaudate eum, omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia eius: et veritas Domini manet in aeternum.

6. et iustus, et Deus: et iustus Deus. W. — 24. Disrumpisti: Dirupisti. W.

PSALMUS CXVII.

Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in saeculum misericordia eius.

Dicat nunc domus Israel, quoniam bonus: quoniam in saeculum misericordia eius.

Dicat nunc domus Aaron, quoniam bonus: quoniam in saeculum misericordia eius.

Dicant nunc omnes qui timent Dominum, quoniam bonus: quoniam in saeculum misericordia eius.

f. 46v. ‡ In tribulatione invocavi Dominum: et exaudivit me in latitudine.

Dominus mihi adiutor: et non timebo, quid faciat mihi homo.

Dominus mihi adiutor: et ego videbo super inimicos meos.

Bonum est confidere in Domino: quam confidere in homine.

Bonum est sperare in Domino: quam sperare in principibus.

Omnes gentes circumdederunt me: ego autem in nomine Domini ultus sum eos.

Circumdantes circumdederunt me: ego autem in nomine Domini ultus sum eos.

Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis: ego autem in nomine Domini ultus sum eos.

Impulsus, versatus sum ut caderem: et Dominus suscepit me.

Virtus mea et laus mea Dominus: et factus est mihi in salutem.

Vox exultationis et salutis: in tabernaculis iustorum.

Dextera Domini fecit virtutem; dextera Domini exaltavit me: dextera Domini fecit virtutem.

1. PSALMUS: *suppl. in hac ed.:* CXVII. *corr. ex* CXII. — 20. *post* circumdederunt, *loc. ras.* — 31. exaltavit: et exaltavit. W.

Non moriar, sed vivam: et enarrabo opera Domini.

Castigans castigavit me Dominus: et morti non tradidit me.

Aperite mihi portas iustitiae: et ingressus in eas confitebor Domino.

Haec porta Domini: iusti ingredientur per eam.

Confitebor tibi, Domine, quoniam exaudisti me: et factus es mihi in salutem.

Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes: hic factus est in caput anguli.

A Domino factum est istud: et est mirabile in oculis nostris.

Haec dies quam fecit Dominus: exultemus et laetemur in ea.

O Domine, salva nunc: o Domine, bene prospera nunc.

Benedictus qui venit in nomine Domini; benediximus vos de domo Domini: Deus Dominus et illuxit nobis.

Constituite sollemnitatem in confrequentationibus: usque ad cornu altaris.

Deus meus es tu, et confitebor tibi: Deus meus es tu, et exaltabo te.

Confitebor tibi, Domine, quoniam exaudisti me: et factus es mihi in salutem.

Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in saeculum misericordia eius.

PSALMUS CXVIII. ALEPH. *) ALLELUIA.

Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini.

Beati qui scrutantur testimonia eius: in toto corde exquirunt eum.

Non enim qui operantur iniquitatem: in viis eius ambulaverunt.

Tu mandasti mandata tua: custodire nimis.

25. PSALMUS: *suppl. in hac ed.* — *) *in cod. occurrit tantum prima litt. alphab. haebr.*

17. Utinam dirigantur * viae meae: ad custodiendas iustificationes tuas.

Tunc non confundar in respiciendo me: in omnia mandata tua.

Confitebor tibi in directione cordis: in eo quod didicerim iudicia iustitiae tuae.

Iustificationes tuas custodiam: non me derelinquas usquequaque.

ALLELUIA.

In quo corrigit iuvenior viam suam? in custodiendo sermones tuos.

In toto corde meo exquisivi te: non repellas me a mandatis tuis.

In corde meo abscondi eloquia tua: ut non peccem tibi.

Benedictus es, Domine: doce me iustificationes tuas.

In labiis meis pronunciavi: omnia iudicia oris tui.

In via testimoniorum tuorum delectatus sum: sicut in omnibus divitiis.

In mandatis tuis meditabor: et considerabo vias tuas.

In tuis iustificationibus meditabor: et non obliviscar sermones tuos.

ALLELUIA.

Retribue servo tuo, vivam: et custodiam sermones tuos.

Revela oculos meos: et considerabo mirabilia de lege tua.

Incola ego sum in terra: non abscondas a me mandata tua.

Concupivit anima mea: desiderare iuditia tua in omni tempore.

Increpasti superbos: maledicti qui declinant a mandatis tuis.

Aufer a me opprobrium et contemptum: quia testimonia tua exquisivi.

1. meae: *om.* W. — 6. iudicia: omnia iudicia. M. — 24. vivam: ut vivam. W.

Etenim sederunt principes et adversum me loquebantur: servus autem tuus exercebatur in tuis iustificationibus.

Nam et testimonia tua meditatio mea est: et consolatio mea iustitiae tuae.

ALLELUIA.

Adhaesit pavimento anima mea: vivifica me secundum verbum tuum.

Vias meas pronuntiavi, et exaudisti me: doce me iustificationes tuas.

Viam iustificationum tuarum fac ut intellegam: et exercebor in mirabilibus tuis.

Dormitavit anima mea prae taedio: confirma me in sermonibus tuis.

Viam iniquitatis amove a me: et de lege tua miserere mei.

Viam veritatis elegi: iuditia tua non sum oblitus,

Adhaesi testimoniis tuis, Domine: ‡ noli me con- f. 47'.
fundere.

Viam mandatorum tuorum cururri: cum dilatares cor meum.

ALLELUIA.

Legem pone mihi, Domine, viam iustificationum tuarum: et exquiram eam semper.

Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam: et custodiam eam in toto corde meo.

Deduc me in semitam mandatorum tuorum: quia ipsam volui.

Inclina cor meum in testimonia tua: et non in avaritiam.

Averte oculos meos ne videant vanitatem: et in via tua vivifica me.

Statue servo tuo eloquium tuum: in timore tuo.

Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum: quia iuditia tua iocunda.

6. anima mea: *corr. ex* animam meam. — me: me Domine. W.

Ecce concupivi mandata tua: et in iustitia tua vivifica me.

ALLELUIA.

Et veniat super me misericordia tua, Domine: salutare tuum secundum eloquium tuum.

Et respondebo exprobrantibus mihi verbum: quia speravi in sermonibus tuis.

Et non auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque: quia in iuditiis tuis speravi.

Et custodiam legem tuam semper: in aeternum et in saeculum saeculi.

Et ambulabam in latitudine: quia mandata tua exquisivi.

Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum: et non confundebar.

Et meditabor in mandatis tuis: quae dilexi vehementer.

Et tuli manus meas ad mandata tua quae dilexi: et exercebor in iustificationibus tuis.

ALLELUIA.

Memento verbi tui servo tuo: in quo mihi spem dedisti.

Haec me consolata est in humilitate mea: quia eloquium tuum vivificavit me.

Superbi inique agebant usquequaque: a lege autem tua non declinavi.

Memor fui iuditiorum tuorum a saeculo, Domine: et consolatus sum.

Taedium tenuit me: a peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

Contabiles mihi erant iustificationes tuae: in loco peregrinationis meae.

Memor fui in nocte nominis tui, Domine: et custodivi legem tuam.

Haec mihi facta est: quia iustificationes tuas exquisivi.

1. et: *om.* M. — 8. Et non: Et ne. M. — 15. dilexi: *M mendose add.* ea. — 31. in: *om.* W. M.

Etenim sederunt principes et adversum me loquebantur: servus autem tuus exercebatur in tuis iustificationibus.

Nam et testimonia tua meditatio mea est: et consolatio mea iustitiae tuae.

ALLELUIA.

Adhaesit pavimento anima mea: vivifica me secundum verbum tuum.

Vias meas pronuntiavi, et exaudisti me: doce me iustificationes tuas.

Viam iustificationum tuarum fac ut intellegam: et exercebor in mirabilibus tuis.

Dormitavit anima mea prae taedio: confirma me in sermonibus tuis.

Viam iniquitatis amove a me: et de lege tua miserere mei.

Viam veritatis elegi: iuditia tua non sum oblitus,

Adhaesi testimoniis tuis, Domine: ⁑ noli me con- f. 47'.
fundere.

Viam mandatorum tuorum cururri: cum dilatares cor meum.

ALLELUIA.

Legem pone mihi, Domine, viam iustificationum tuarum: et exquiram eam semper.

Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam: et custodiam eam in toto corde meo.

Deduc me in semitam mandatorum tuorum: quia ipsam volui.

Inclina cor meum in testimonia tua: et non in avaritiam.

Averte oculos meos ne videant vanitatem: et in via tua vivifica me.

Statue servo tuo eloquium tuum: in timore tuo.

Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum: quia iuditia tua iocunda.

6. anima mea: *corr. ex* animam meam. — me: me Domine. W.

Ecce concupivi mandata tua: et in iustitia tua vivifica me.

ALLELUIA.

Et veniat super me misericordia tua, Domine: salutare tuum secundum eloquium tuum.

Et respondebo exprobrantibus mihi verbum: quia speravi in sermonibus tuis.

Et non auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque: quia in iuditiis tuis speravi.

Et custodiam legem tuam semper: in aeternum et in saeculum saeculi.

Et ambulabam in latitudine: quia mandata tua exquisivi.

Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum: et non confundebar.

Et meditabor in mandatis tuis: quae dilexi vehementer.

Et tuli manus meas ad mandata tua quae dilexi: et exercebor in iustificationibus tuis.

ALLELUIA.

Memento verbi tui servo tuo: in quo mihi spem dedisti.

Haec me consolata est in humilitate mea: quia eloquium tuum vivificavit me.

Superbi inique agebant usquequaque: a lege autem tua non declinavi.

Memor fui iuditiorum tuorum a saeculo, Domine: et consolatus sum.

Taedium tenuit me: a peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

Contabiles mihi erant iustificationes tuae: in loco peregrinationis meae.

Memor fui in nocte nominis tui, Domine: et custodivi legem tuam.

Haec mihi facta est: quia iustificationes tuas exquisivi.

1. et: *om.* M. — 8. Et non: Et ne. M. — 15. dilexi: *M mendose add.* ea. — 31. in: *om.* W. M.

ALLELUIA.

Portio mea es tu, Domine: dixi custodire legem tuam.

❢ Deprecatus sum vultum tuum in toto corde meo: 1. 58
miserere mei secundum eloquium tuum.

Quia cogitavi vias tuas: et averti pedes meos in testimonia tua.

Paratus sum et non sum turbatus: ut custodiam mandata tua.

Funes peccatorum circumplexae sunt me: legem autem tuam non sum oblitus.

Media nocte surgebam ad confitendum tibi: super iudicia iustitiae tuae.

Particeps sum ego omnium timentium te: et custodientium mandata tua.

Misericordia tua, Domine, plena est terra: iustificationes tuas doce me.

ALLELUIA.

Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine: secundum verbum tuum vivifica me.

Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me: quia in mandatis tuis credidi.

Priusquam humiliarer, ego deliqui: propterea eloquium tuum ego custodivi.

Bonus es tu, Domine: et in bonitate tua doce me iustificationes tuas.

Multiplicata est super me iniquitas superborum: ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.

Coagulatum est sicut lac cor eorum: ego vero legem tuam meditatus sum.

Bonum mihi quod humiliasti me: ut discerem iustificationes tuas.

Bonum mihi lex oris tui: super millia auri et argenti.

ALLELUIA.

Manus tuae fecerunt me et plasmaverunt me: da mihi intellectum ut discam mandata tua.

9. circumplexae: circumplexi. W. M. — 27. scrutabor: et scrutabor. M.

Qui timent te, videbunt me et laetabuntur: quia in verbis tuis speravi.

Cognovi, Domine, quia iuditia iustitiae tuae: et in veritate tua humiliasti me.

Fiat vero misericordia tua, ut exhortetur me: secundum eloquium tuum servo tuo.

Veniant mihi miserationes tuae, ut vivam: quia lex tua meditatio mea est.

Confundantur superbi, quia iniuste iniquitatem fecerunt super me: ego autem meditabor in mandatis tuis.

Convertantur mihi qui timent te: et qui noverunt testimonia tua.

Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis: ut non confundar.

ALLELUIA.

Defecit in salutari tuo anima mea: et in verbis tuis speravi.

Defecerunt oculi mei in eloquium tuum: dicentes, quando consolaberis me?

Quia factus sum sicut uter in pruina: iustificationes tuas non sum oblitus.

48' ‡ Quot sunt dies servi tui? quando faties de persequentibus me iudicium?

Narraverunt mihi iniqui fabulationes: sed non sicut lex tua, Domine.

Omnia mandata tua veritas: iniqui persecuti sunt me, adiuva me.

Paulominus consummaverunt me in terra: ego autem non dereliqui mandata tua.

Secundum misericordiam tuam vivifica me: et custodiam testimonia oris tui.

ALLELUIA.

In aeternum, Domine: verbum tuum permanet in caelo.

In generatione et progenie: veritas tua.

Fundasti terram, et permanet in aeternum; ordinatione tua permanet dies: quia omnia serviunt tibi.

Nisi quod lex tua meditatio mea est: tunc forsitan periissem in humilitate mea.

In aeternum non obliviscar iustificationes tuas: quia in ipsis vivificasti me.

Tuus sum ego, salvum me fac: quoniam iustificationes tuas exquisivi.

Me expectaverunt peccatores ut perderent me: testimonia tua intellexi.

Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis.

ALLELUIA.

Quomodo dilexi legem tuam, Domine: tota die meditatio mea est.

Super inimicos meos sapere me fecisti praeceptum tuum: quia in aeternum mihi est.

Super omnes docentes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est.

Super seniores intellexi: quia mandata tua exquisivi.

Ab omni via mala prohibe pedes meos: ut custodiam mandata tua.

A iuditiis tuis non declinavi: quoniam tu legem constituisti mihi.

Quam dulcia faucibus meis eloquia tua: super mel et favum ori meo.

A mandatis tuis intellexi, propterea odivi omnem viam iniquitatis: quoniam tu legem constituisti mihi.

ALLELUIA.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine: et lumen semitis meis.

Iuravi et statui: custodire iuditia iustitiae tuae.

Humiliatus sum usquequaque, Domine: vivifica me secundum verbum tuum.

23. quoniam.... constituisti: quia.... posuisti. W. M.

Voluntaria oris mei bene prospera nunc, Domine: et iuditia tua doce me.

Anima mea in manibus tuis semper: et legem tuam non sum oblitus.

f. 49. Posuerunt peccatores laqueos mihi: et a man-‡-datis tuis non erravi.

Hereditatem acquisivi testimonia tua in aeternum: quia exultatio cordis mei sunt.

Inclinavi cor meum ut facerem iustificationes tuas in aeternum: propter retributionem.

ALLELUIA.

Iniquos odio habui: et legem tuam dilexi.

Adiutor meus et susceptor meus es tu: et in verbis tuis speravi.

Declinate a me maligni: et scrutabor mandata Dei mei.

Suscipe me secundum eloquium tuum, et vivam: et ne confundas me ab expectatione mea.

Adiuva me, et salvus ero: et meditabor in iustificationibus tuis semper.

Sprevisti omnes discedentes a iustificationibus tuis: quia iniusta cogitatio eorum est.

Praevaricantes reputavi omnes peccatores terrae: ideo dilexi mandata tua semper.

Infige clavis a timore tuo carnes meas: a iudiciis enim tuis timui.

ALLELUIA.

Feci iuditium et iustitiam: non tradas me, Domine, nocentibus me.

Elige servum tuum in bonum: ut non calumnientur me superbi.

Oculi mei defecerunt in salutare tuum: et in eloquium iustitiae tuae.

Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam: et iustificationes tuas doce me.

7. Hereditatem: Hereditate. W. M. — 12. odio *suppl. 1 ma. sup. l.*

Servus tuus sum ego, da mihi intellectum: ut sciam testimonia tua.

Tempus fatiendi, Domine: dissipaverunt iniqui legem tuam.

Ideo dilexi mandata tua: super aurum et topazion.

Propterea ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui.

ALLELUIA.

Mirabilia testimonia tua: ideo scrutata est ea anima mea.

Declaratio sermonum tuorum illuminat' me: et intellectum dat parvulis.

Os meum aperui et attraxi spiritum: quia mandata tua exquisivi.

Respice in me et miserere mei: secundum iuditium diligentium nomen tuum.

Gressus meos dirige secundum eloquium tuum: et non dominetur mei omnis iniquitas.

Redime me a calumniis hominum: ut custodiam mandata tua.

Faciem tuam illumina super servum tuum: et doce me iustificationes tuas.

Exitus aquarum transierunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam.

ALLELUIA.

‡ Iustus es, Domine: et rectum iuditium tuum. f. 49r.

Mandasti iustitiam testimonia tua: et veritatem tuam nimis.

Tabefecit me zelus tuus: quia obliti sunt verborum tuorum inimici mei.

Ignitum eloquium tuum vehementer: et servus tuus dilexit illud.

Iunior sum ego et contemptus: iustificationes tuas non sum oblitus.

3. dissipaverunt: et dissipaverunt. M. 17. dominetur: *corr. ex* dominentur. 28. sunt: *suppl. al. ma. sup. lin.*

Iustitia tua, iustitia in aeternum: et lex tua veritas.

Tribulatio et necessitas invenerunt me: mandata autem tua meditatio mea est.

Iustitia testimonia tua in aeternum: intellectum da mihi et vivifica me.

ALLELUIA.

Clamavi in toto corde meo, exaudi me, Domine: iustificationes tuas requiram.

Clamavi ad te, et salvum me fac: ut custodiam mandata tua.

Praeveni in maturitate, clamavi; et in verbis tuis speravi.

Praevenerunt oculi mei ad te diluculo: ut meditarer eloquia tua.

Vocem meam exaudi, Domine, secundum misericordiam tuam, Domine: secundum iuditium tuum vivifica me.

Appropiaverunt qui persequebantur me iniquitate: a lege autem tua longe facti sunt.

Prope es tu, Domine: et omnia mandata tua veritas.

Ab initio cognovi de testimoniis tuis: quia in aeternum fundasti ea.

ALLELUIA.

Vide humilitatem meam et eripe me: quia legem tuam non sum oblitus.

Iudica iuditium meum et redime me: propter eloquium tuum vivifica me.

Longe est a peccatoribus salus: quia iustificationes tuas non exquisierunt.

Miserationes tuae multae, Domine: secundum iuditium tuum vivifica me.

Multi qui persequuntur me et qui tribulant me: de testimoniis tuis non declinavi.

Vidi non servantes pactum et tabescebam: quia eloquia tua non custodierunt.

1. iustitia in: iust. *suppl. 1 ma. sup. lin.* — 29. multae: *om.* M. — 31. et: *om.* M.

Vide quoniam mandata tua dilexi, Domine: et in misericordia tua vivifica me.

Principium verborum tuorum veritas: in aeternum omnia iuditia iustitiae tuae.

ALLELUIA.

Principes persecuti sunt me gratis: et a verbis tuis formidavit cor meum.

⁑ Laetabor ego super eloquia tua: sicut qui invenit f. 50. spolia multa.

Iniquitatem odio habui et abominatus sum: legem autem tuam dilexi.

Septies in die laudem dixi tibi: super iuditia iustitiae tuae.

Pax multa diligentibus legem tuam, Domine: et non est illis scandalum.

Expectabam salutare tuum: et legem tuam dilexi.

Custodivit anima mea testimonia tua: et dilexit ea vehementer.

Custodivi mandata tua et testimonia tua: quoniam omnes viae meae in conspectu tuo, Domine.

ALLELUIA.

Appropiet oratio mea in conspectu tuo, Domine: secundum eloquium tuum da mihi intellectum.

Intret postulatio mea in conspectu tuo, Domine: secundum eloquium tuum eripe me.

Eructabunt labia mea hymnum: cum docueris me iustificationes tuas.

Annuntiabit lingua mea eloquia tua: quia omnia mandata tua iustitia.

Fiat manus tua ut salvum fatias me: quia mandata tua elegi.

Concupivi salutare tuum, Domine: et lex tua meditatio mea est.

14. Domine: *suppl. al. ma. sup. lin.; 1 ma.* W.; *om.* M. 16. tuum: tuum Domine. W. M.

Vivet anima mea et laudabit te: et iuditia tua adiuvabunt me.

Erravi sicut ovis quae perierat: require servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.

PSALMUS CXVIIII. CANTICUM GRADUUM.

Ad Dominum, cum tribularer, clamavi: et exaudivit me.

Domine, libera animam meam a labiis iniquis: et a lingua dolosa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi: ad linguam dolosam?

Sagittae potentis acutae: cum carbonibus desolatoriis.

Heu me, quod incolatus meus prolongatus est: habitare cum habitantibus Cedar.

Multum incola fuit anima mea; cum his, qui oderunt pacem, eram parificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis.

PSALMUS CXX.

Levavi oculos meos ad montes: unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum a Domino: qui fecit caelum et terram.

Non det in commotionem pedem tuum: neque dormiet qui custodit te.

Ecce non dormitabit, neque obdormiet: qui custodit Israel.

Dominus custodiat te, Dominus protectio tua: super manum dexterae tuae.

Per diem sol non uret te: neque luna per noctem.

Dominus custodiat te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.

f. 50'. Dominus custodiat introitum ‡ tuum et exitum tuum: ex hoc nunc et usque in saeculum.

5. PSALMUS: *hoc loco et deinceps suppl. in hac ed.* — 9. ad linguam: linguam. W. — 17. CXX: *corr. ex* CXVIIII. — 21. dormiet: obdormiet. W. M.

PSALMUS CXXI.

Laetatus sum in his quae dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes nostri: in atriis tuis, Ierusalem.

Ierusalem quae aedificatur ut civitas: cuius participatio eius in idipsum.

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini: testimonium Israel ad confitendum nomini Domini.

Quia illic sederunt sedes in iuditio: sedes super domum David.

Interrogate quae ad pacem sunt Ierusalem: et abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua: et abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos et proximos meos: loquebar pacem de te.

Propter domum Domini Dei mei: exquisivi bona tibi.

PSALMUS CXXII.

Ad te levavi oculos meos: qui habitas in caelo.

Ecce sicut oculi servorum: in manibus dominorum suorum.

Sicut oculi ancillae in manibus dominae suae: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nobis.

Miserere nobis, Domine, miserere nobis: quia multum repleti sumus contemptione.

Et multum repleta est anima nostra: opprobrium abundantibus et dispectio superbis.

PSALMUS CXXIII.

Nisi quod Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel: nisi quod Dominus erat in nobis.

Cum insurgerent homines in nos: forsitan vivos deglutissent nos.

1. CXXI: *corr. ex* CXX. — 17. CXXII: *corr. ex* CXXI. 27. CXXIII: *corr. ex* CXXII.

Cum irasceretur animus eorum adversum nos: forsitan ut aquam absorbuissent nos.

Torrentem pertransivit anima nostra: forsitan pertransisset anima nostra aquam immensam.

Benedictus Dominus: qui non dedit nos in capturam dentibus eorum.

Anima nostra sicut passer: erepta est de laqueo venantium.

Laqueus contritus est: et nos liberati sumus.

Adiutorium nostrum in nomine Domini: qui fecit caelum et terram.

PSALMUS CXXIIII.

Qui confidunt in Domino, sicut mons Syon: non commovebitur in aeternum qui habitat in Ierusalem.

Montes in circuitu eius, et Dominus in circuitu populi sui: ex hoc nunc et usque in saeculum.

Quia non remittet virgam peccatorum: super sortem iustorum.

Ut non extendant iusti ad iniquitatem manus suas: benefac, Domine, bonis et rectis corde.

Declinantes autem ad obligationem adducet Dominus cum operantibus iniquitatem: pax super Israel.

PSALMUS CXXV.

In convertendo Dominus captivitatem Syon: facti sumus sicut consolati.

f. 51. ⁑ Tunc repletum est gaudio os nostrum: et lingua nostra in exultatione.

Tunc dicent inter gentes, Magnificavit Dominus facere cum illis: magnificavit Dominus facere nobiscum; facti sumus laetantes.

12. CXXIIII: *corr. ex* CXXIII. — 19. Ut non: Et non. W. — 23. CXXV: *corr. ex* CXXIIII. — 26. gaudio: in gaudio. W. M.

Convertere, Domine, captivitatem nostram: sicut torrens in Austro.

Qui seminant in lacrimis, in gaudio metent: euntes ibant et flebant mittentes semina sua.

Venientes autem venient in exultatione: portantes manipulos suos.

PSALMUS CXXVI.

Nisi Dominus aedificaverit domum: in vanum laborant qui aedificant eam.

Nisi Dominus custodierit civitatem: in vanum vigilant qui custodiunt eam.

In vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis suis somnum: ecce hereditas Domini, filii; merces, fructus ventris.

Sicut sagittae in manu potentis: ita et filii excussorum.

Beatus qui implevit desiderium suum ex ipsis: non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta.

PSALMUS CXXVII.

Beati omnes qui timent Dominum: qui ambulant in viis eius.

Labores fructuum tuorum manducabis: beatus es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abundans: in lateribus domus tuae.

Filii tui sicut novellae olivarum: in circuitu mensae tuae.

Ecce sic benedicetur omnis homo: qui timet Dominum.

Benedicat te Dominus ex Syon: et videas quae sunt bona Ierusalem omnibus diebus vitae tuae.

Et videas filios filiorum tuorum: pax super Israel.

7. CXXVI: *corr. ex* CXXV. — 11. eam: *corr. ex* ea. — 16. et: *om.* W. M. — 27. timet: *corr. ex* timent. — 29. sunt bona: bona sunt. W. M.

PSALMUS CXXVIII.

Saepe expugnaverunt me a iuventute mea; dicat nunc Israel: saepe expugnaverunt me a iuventute mea.

Etenim non potuerunt mihi: supra dorsum meum fabricaverunt peccatores.

Prolongaverunt iniquitates suas: Dominus iustus concidet cervices peccatorum.

Confundantur et avertantur retrorsum: omnes qui oderunt Syon.

Fiant sicut foenum aedificiorum: quod, priusquam evellatur, arescit.

De quo non implebit manum suam qui metit: nec sinum suum, qui manipulos colligit.

Et non dixerunt praetereuntes, Benedictio Domini super vos: benediximus vos in nomine Domini.

PSALMUS CXXVIIII.

f. 51'. ⁑ De profundis clamavi ad te, Domine: Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes: in vocem orationis meae.

Si iniquitatem observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: et propter nomen tuum sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea verbum tuum: speravit anima mea in Domino.

A vigilia matutina usque in noctem: speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia est: et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel: ab omnibus iniquitatibus eorum.

2-3. a iuventute: *corr. ex* ad iuv. — 10. aedificiorum: *corr. ex* etdificiorum. — 24. verbum tuum: in verbo tuo. W. M.

PSALMUS CXXX.

Domine, non est exaltatum cor meum: neque elati sunt ocúli mei.

Neque ambulavi in magnis: neque in mirabilibus super me.

Si non humiliter sentiebam: sed exaltavi anima mea.

Sicut ablactatus super matrem suam: ita retribuet in anima mea.

Speret Israel in Domino: ex hoc nunc et usque in saeculum.

PSALMUS CXXXI.

Memento, Domine, David: et omnis mansuetudinis eius.

Sicut iuravit Domino: votum vovit Deo Iacob.

Si introiero in tabernaculum domus meae: si ascendero super lectum stratus mei.

Si dedero somnum oculis meis, aut palpebris meis dormitationem: aut requiem temporibus meis.

Donec inveniam locum Domino: tabernaculum Deo Iacob.

Ecce audivimus ea in Eufratha: invenimus ea in campis silvae.

Introivimus in tabernaculum eius: adoravimus in loco ubi steterunt pedes eius.

Exurge, Domine, in requiem tuam: tu, et arca sanctificationis tuae.

Sacerdotes tui induantur iustitia: et sancti tui exultent.

Propter David servum tuum: non avertas faciem Christi tui.

Iuravit Dominus David veritatem: et non frustrabitur eum.

6. anima mea: animam meam. M. — 7. retribuet: retribues. W. M. — 14. iuravit.... vovit: iuravi.... vovi. W. — 21. ea in *secundo: corr. ex* eam in, *cum* W: eum. M.

De fructu ventris tui: ponam super sedem tuam.

Si custodierint filii tui testamentum meum: et testimonia mea, et quae docebo eos.

Et filii eorum usque in aeternum: sedebunt super sedem tuam.

Quia elegit Dominus Syon: praeelegit eam in habitaculum sibi.

Haec requies mea in saeculum saeculi: hic habitabo, quoniam praeelegi eam.

Viduam eius benedicens benedicam: pauperes eius saturabo panibus.

f. 42. Sacerdotes eius induam salutare: et ‡ sancti eius exultatione exultabunt.

Illuc producam cornu David: paravi lucernam Christo meo.

Inimicos eius induam confusionem: super ipsum autem florebit sanctificatio mea.

PSALMUS CXXXII.

Ecce quam bonum et quam iocundum: habitare fratres in unum.

Sicut unguentum in capite: quod descendit in barbam, in barbam Aaron.

Quod descendit in ora vestimenti eius: sicut ros Hermon quod descendit in montem Syon.

Quia illic mandavit Dominus benedictionem: et vitam usque in saeculum.

PSALMUS CXXXIII.

Ecce nunc benedicite Dominum: omnes servi Domini.

Qui statis in domo Domini: in atriis domus Dei nostri.

In noctibus extollite manus vestras in sancta: et benedicite Dominum.

6. Quia: *corr. ex* Qui. — 9. praeelegi eam: *corr. ex* praeelegit ea, *cum* W. M. — 16. confusionem: confusione. M. W. — 23. ora: oram. M. — 24. quod: qui W. M. — 29. Domini: *corr. ex* Dominum.

Benedicat te Dominus ex Syon: qui fecit caelum et terram.

PSALMUS CXXXIIII.

Laudate nomen Domini: laudate, servi, Dominum.

Qui statis in domo Domini: in atriis domus Dei nostri.

Laudate Dominum, quoniam bonus est Dominus: psallite nomini eius, quoniam bonus.

Quoniam Iacob elegit Dominus: Israel in hereditatem sibi.

Quia ego cognovi quod magnus Dominus: et Deus noster prae omnibus diis.

Omnia quaecumque voluit fecit in caelo et in terra: in mari et in omnibus abyssis.

Et ducens nubes ab extremo terrae: fulgura in pluviam fecit.

Qui producit ventos de thesauris suis: qui percussit primitiva Aegypti ab homine usque ad pecus.

Et misit signa et prodigia in medio tui, Aegypte: in Pharaonem et in omnes servos eius.

Qui percussit gentes multas: et occidit reges potentes.

Seon regem Amorreorum, et Og regem Basan: et omnia regna Chanaan.

Et dedit terram eorum hereditatem: hereditatem Israel servo suo.

Domine, nomen tuum in aeternum: et memoriale tuum in generatione et progenie.

Quia iudicabit Dominus plebem suam: et in servis suis consolabitur.

Simulacra gentium argentum et aurum: opera manuum hominum.

Os habent, et non loquentur: oculos habent, et non videbunt.

6. est: *om.* M. — 8. elegit: elegit sibi. W. M. — 13. in mari: et in mari. W. M. — 14. Et ducens: Educens. W. M. — 25. memoriale: *corr. ex* memorialem. — 32. videbunt: *corr. ex* palpabunt, *cum* W. M.

Aures habent, et non audient: nares habent, et non odorabunt.

Manus habent, et non palpabunt: pedes habent, et non ambulabunt.

. 52'. Non clamabunt in ‡ gutture suo: neque enim est spiritus in ore ipsorum.

Similes illis fiant qui faciunt ea: et omnes qui confidunt in eis.

Domus Israel, benedicite Dominum: Domus Aaron, benedicite Dominum.

Domus Levi, benedicite Dominum: qui timetis Dominum, benedicite Dominum.

Benedictus Dominus ex Syon: qui habitat in Ierusalem.

PSALMUS CXXXV.

Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in saeculum misericordia eius.

Confitemini Deo deorum: quoniam bonus.

Confitemini Domino dominorum: quoniam bonus.

Qui facit mirabilia magna solus: quoniam bonus.

Qui fecit caelos et intellectus: quoniam bonus.

Qui firmavit terram super aquas: quoniam bonus.

Qui fecit luminaria magna solus: quoniam bonus.

Solem in potestatem diei: quoniam bonus.

Lunam et stellas in potestatem noctis: quoniam bonus

Qui percussit Aegyptum cum primitivis eorum: quoniam bonus.

Et eduxit Israel de medio eorum: quoniam bonus.

In manu forti et brachio excelso: quoniam bonus.

Qui divisit Mare Rubrum in divisiones aquarum: quoniam bonus.

Et perduxit Israel per medium eius: quoniam bonus.

10 et 12. Dominum: Domino. W. M. — 21. et intellectus: W. *legit:* in tellectus (sic) *sed* s. *ras.;* M. intellectu.

Et excussit Pharaonem et omnem potentiam eius in Mari Rubro: quoniam bonus.

Et perduxit populum suum in deserto: quoniam bonus.

Qui percussit reges magnos, et occidit reges fortes: quoniam bonus.

Seon regem Amorreorum, et Og regem Basan: quoniam bonus.

Et dedit terram eorum hereditatem, hereditatem Israel servo suo: quoniam bonus.

Quoniam humilitatem nostram memor fuit nostris Dominus: quoniam bonus.

Et eripuit nos ab inimicis nostris, qui dat escam omni carni: quoniam bonus.

Confitemini Deo, caeli, quoniam bonus: quoniam in saeculum misericordia eius.

PSALMUS CXXXVI.

Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus: dum recordaremur tui, Syon.

In salicibus, in medio eius: suspendimus organa nostra.

Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos: verba cantionum.

Et quia duxerunt nos: Hymnum cantate nobis de canticis Syon.

Quomodo cantabimus canticum Domini: in terra aliena?

Si oblitus fuero tui, Ierusalem: obliviscatur me dextera mea.

Adhaereat lingua mea faucibus meis: si non meminero tui.

Si non proposuero tui Ierusalem: in principio laetitiae meae.

Memento, Domine, filiorum Edom: in die Ierusalem.

3. Et: Qui. W. M. — in deserto: per desertum. W. M. — 10. humilitatem,... nostris: in humilitatem memor fuit nostri W; in humilitate nostra m. f. nostri. M. — 22. quia duxerunt: qui abduxerunt. W. M. — 24. cantabimus: *corr. ex* cantavimus *cum* W. M. — 29. tui: te. W. — 31. Edom: *corr. ex* et dom.

Qui dicunt, Exinanite, exinanite: quo usque ad fundamentum in ea.

Filia Babylonis: misera.

Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam: quam retribuisti nobis.

Beatus qui tenebit parvulos suos: et allidet ad petram.

PSALMUS CXXXVII.

f. 53. ✠ Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: quia exaudisti omnia verba oris mei.

Et in conspectu Angelorum psallam tibi: adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Super misericordiam tuam et veritatem tuam: quia magnificasti super omnia nomen sanctum tuum.

In quacumque die invocavero te: cito exaudi me.

Multiplicabis me in anima mea: in virtute tua.

Confitebuntur tibi, Domine, omnes reges terrae: quia audierunt omnia verba oris tui.

Ut cantent in viis tuis, Domine: quia magna gloria Domini.

Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit: et alta a longe agnoscit.

Si ambulavero in medio tribulationis: vivificabis me.

Super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam: et salvum me fecit dextera tua.

Domine, retribue pro me; Domine, misericordia tua in aeternum: opera manuum tuarum me despicias.

PSALMUS CXXXVIII.

Domine, probasti me et cognovisti me: tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam.

Intellexisti cogitationes meas a longe, semitam meam et finem meum tu investigasti: et omnes vias meas praevidisti.

4. retribuet: *corr. ex* retribue. — 29. sessionem: *corr. ex* sensionem. — 31. finem: funem. W. M.

Quia non est dolus in lingua mea: ecce tu, Domine, cognovisti omnia novissima et antiqua.

Tu formasti me: et posuisti super me manum tuam.

Mirificata est scientia tua ex me: confortata est, et non potero ad eam.

Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam?

Si ascendero in caelos, tu illic es: et si descendero in infernum, ades.

Si assumpsero pennas meas a matutino: et inhabitavero in extremis maris.

Etenim illuc manus tua deducet me: et apprehendet me dextera tua.

Et dixi, Forsitan tenebrae conculcaverunt me: et nox illuminatio in epulatione mea.

Quia tenebrae non obscurabuntur a te: et nox sicut dies illuminabitur.

Sicut tenebrae eius, ita et lumen eius; quoniam tu, Domine, possedisti renes meos: suscepisti me de utero matris meae.

Confitebor tibi, Domine, quia terribiliter mirificatus es: mira opera tua, et anima mea cognoscit valde.

Non est occultatum os meum a te quod fecisti in obscuro: et substantia mea in inferioribus terrae.

Inoperatum meum viderunt oculi tui: et in libro tuo omnes scribuntur.

Per diem formabuntur, et nullus in ipsis; mihi autem nimis hono-‡-rati sunt amici tui, Deus: nimium confortatus f. 55'.
est principatus eorum.

Dinumerabo eos: et super arenam multiplicabuntur.

Et surrexi, et adhuc tecum sum: si occideris, Deus, peccatores.

Viri sanguinum, declinate a me: quia contentiosi estis in cogitationibus.

7. caelos: *corr. ex* caelo. — 12. me: *om.* W. — 14. epulatione: *corr. ex* expuliatione, *ubi 2 ma.* u *corr. in* o. — 27. nimis: *om.* W. — honorati: honorandi. M. — 30. occideris: *corr. ex* occiderit.

Accipient in vanitate civitates suas; nonne odientes te, Domine, odivi: et super inimicos tuos tabescebam?

Perfecto odio oderam eos: et inimici facti sunt mihi.

Proba me, Domine, et scito cor meum: afflige me, et scito vias meas.

Et vide si est via iniquitatis in me: et deduc me, in via aeterna.

PSALMUS CXXXVIIII.

Eripe me, Domine, ab homine malo: et a viro iniquo libera me.

Qui cogitaverunt iniquitates in corde: tota die constituebant praelia.

Acuerunt linguas suas sicut serpentes: venenum aspidum sub labiis eorum.

Custodi me, Domine, de manu peccatoris: et a viro iniquo libera me.

Qui cogitaverunt supplantare gressus meos: absconderunt superbi laqueum mihi.

Et funibus praetenderunt laqueum pedibus meis: detinentes semitas, scandalum apposuerunt mihi.

Dixi Domino, Deus meus es tu: auribus percipe, Domine, vocem deprecationis meae.

Domine, Domine, virtus salutis meae: obumbrasti super caput meum in die belli.

Non tradas me, Domine: a desiderio meo peccatori.

Cogitaverunt adversum me, non me derelinquas: nequando exaltentur.

Caput circuitus eorum: labor labiorum ipsorum operiet eos.

Cadent super eos carbones ignis; in ignem deities eos: in miseriis non subsistent.

1. Accipient: Accipiant. M. — odientes: *corr. ex* audientes, *cum* W. *et* M. — 3. oderam: *corr. ex* odiebam. — 18. laqueum: laqueos. W. M. — 25. Domine: *suppl. al. ma. sup. lin.*

Vir linguosus non dirigetur super super terram: virum iniustum mala capient in interitum.

Cognovi quia faciet Dominus iuditium inopum: et vindictam pauperum.

Verumtamen iusti confitebuntur nomini tuo: et habitabunt recti cum vultu tuo.

PSALMUS CXL.

Domine, clamavi ad te, et exaudi me: intende voci orationis meae, dum clamavero ad te.

Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo; elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Pone, Domine, custodiam ori meo: et ostium ‡ cir- f. 54.
cumstantiae labiis meis.

Non declines cor meum in verba malitiae: ad excusandas excusationes in peccatis.

Cum hominibus operantibus iniquitatem: et non communicabo cum electis eorum.

Corripiet me iustus in misericordiam, et arguet me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

Quia adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum; absorpti sunt continuati petra iudices eorum: audient verba mea, quoniam potuerunt.

Sicut crassitudo terrae et eructat super terram: dispersa sunt ossa nostra secus in infernum.

Quia ad te, Domine, Domine, oculi mei; in te speravi: non auferas animam meam.

Custodi me a laqueo hoc quem statuerunt mihi: et a scandalis operantibus iniquitatem.

Cadent in retia eius peccatores: singulariter sum ego donec transeam.

PSALMUS CXLI.

Voce mea ad Dominum clamavi: voce mea ad Deum deprecatus sum.

5. nomini tuo: *suppl. al. ma. sup. lin.* — 8, 23. et: *om.* W. M. — 18, 20. et: *om.* M.

Effundam in conspectu eius deprecationem meam: tribulationem meam ante ipsum pronuncio.

In deficiendo in me spiritum meum: et tu cognovisti semitam meam.

In via hac qua ambulabam: absconderunt superbi laqueos mihi.

Considerabam a dextris et videbam: et non erat qui cognosceret me.

Periit fuga a me: et non est qui requirat animam meam.

Clamavi ad te, Domine, dixi, Tu es spes mea: portio mea in terra viventium.

Intende ad deprecationem meam: quia humiliatus sum valde.

Eripe me de persequentibus me: quoniam praevaluerunt super me.

Educ de carcere animam meam: ad confitendum nomini tuo.

Me exspectant iusti: donec retribuas mihi.

PSALMUS CXLII.

Domine, exaudi orationem meam: auribus percipe deprecationem meam in veritate tua.

Exaudi me in tua iustitia: et non intres in iuditio cum servo tuo.

Quoniam non iustificabitur in conspectu tuo: omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terram vitam meam.

Collocavit me in tenebris sicut mortuos aeterni: et anxiatus est super me spiritus meus.

In me conturbatum est cor meum; memoratus sum
. 54'. dierum antiquorum: et meditatus sum ‡ in omnibus operibus tuis, et in factis manuum tuarum meditabor.

1-2. tribulationem: et tribulationem. W. — 9. requirat: *corr. ex* requiret. — 10. portio: et portio. M. — 27. terram: terra. M. — 31. et, *om.* M.

Magnificentiam gloriae sanctitatis tuae loquentur: et mirabilia tua enarrabunt.

Et virtutem terribilium tuorum dicent: et mirabilia tua annutiabunt.

Memoriam multitudinis suavitatis tuae eructabunt: et iustitiam tuam exultabunt.

Misericors et miserator Dominus: patiens et multum misericordiae.

Suavis Dominus in omnibus: et miserationes eius super omnia opera eius.

Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua: et sancti tui benedicent te.

Gloriam regni tui dicent: et potentiam tuam loquentur.

Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam: et gloriam magnificentiae regni tui.

Regnum tuum, Domine, regnum omnium saeculorum: et dominatio tua in omni generatione et progenie.

Fidelis Dominus in omnibus verbis suis: et sanctus in omnibus operibus suis.

Confirmat Dominus omnes ruentes: et erigit omnes elisos.

Oculi omnium in te sperant: et tu das escam illis in tempore opportuno.

Aperis tu manum tuam: et adimples omne animal benedictione.

Iustus Dominus in omnibus viis suis: et sanctus in omnibus operibus suis.

Prope est Dominus omnibus invocantibus eum: omnibus qui invocant eum in veritate.

Voluntatem timentium se faciet: et orationes eorum exaudiet, et salvabit eos.

3. terribilium tuorum: *corr. ex* terriliorum. — 4. annuntiabunt: enuntiabunt. W. — 6. iustitiam tuam: iustitia tua. W. — 7. multum: multae. W. M. — 9. et, *om.* W. M. — 16. Domine: *suppl. al. ma. sup. lin.* — 22. omnium: hominum. W. M.

Custodit Dominus omnes diligentes se: et omnes peccatores disperdet.

Laudationem Domini loquetur os meum, et benedicat omnis caro nomen sanctum eius: in aeternum et in saeculum saeculi.

PSALMUS CXLV.

Lauda, anima mea, Dominum, laudabo Dominum in vita mea: psallam Deo meo quamdiu ero.

Nolite confidere in principibus: neque in filiis hominum, in quibus non est salus.

Exibit spiritus eius, et revertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius est; spes eius f. 55'. in Domino Deo ‡ ipsius: qui fecit caelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt.

Qui custodit veritatem in saeculum, faciens iuditium iniuriam patientibus: dat escam esurientibus.

Dominus solvit compeditos: Dominus erigit elisos.

Dominus illuminans caecos: Dominus dirigit iustos.

Dominus custodit advenam, orphanum et viduam suscipiet: et viam peccatorum exterminabit.

Regnabit Dominus in aeternum: Deus tuus, Syon, in saeculum saeculi.

PSALMUS CXLVI.

Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus: Deo nostro iocunda sit laudatio.

Aedificans Ierusalem Dominus: et dispersiones Israel congregabit.

Qui sanat contritos corde: et alligat contritiones eorum.

Qui numerat multitudinem stellarum: et omnibus eis nomina vocat.

13. est: *om.* W. M. — 19. illuminans: illuminat. W. M. — 28. congregabit: congregavit. W. — 31. vocat: vocans. W. M.

Magnus Dominus noster et magna virtus eius: et sapientiae eius non est numerus.

Suscipiens mansuetos Dominus: humiliat autem peccatores usque ad terram.

Incipite Domino in confessione: psallite Deo nostro in cithara.

Qui operit caelum in nubibus: et parat terra pluviam.

Qui producit in montibus foenum: et herbam servituti hominum.

Qui dat pecoribus escam illorum: et pullis corvorum invocantibus eum.

Non in viribus equi voluntatem habebunt: neque in tibialibus viri beneplacebunt.

Beneplacitum est Domino super timentes eum: et in eis qui sperant super misericordia eius.

PSALMUS CXLVII.

Lauda, Ierusalem, Dominum: lauda Deum tuum, Syon.

Quia confortavit seras portarum tuarum: benedixit filios tuos in te.

Qui ponit fines tuos pacem: et adipe frumenti satiat te.

Qui emittit eloquium suum terrae: velociter currit sermo eius.

Qui dat nivem sicut lanam: nebulam sicut cinerem spargens.

Mittit crystallum suam tamquam frusta panis: contra faciem frigoris eius quis subsistet?

Emittet verbum suum et liquefatiet ea: flabit spiritus eius, et fluent aquae.

Qui annuntiat verbum suum Iacob: iustitiam et iuditium in Israel.

7. — in: *om.* W. M. — terra: terrae W. M. — 12. equi voluntatem: *corr. ex* et qui voluntate, *cum* W *et* M. — 22. currit: *corr. ex* curri. — 25. spargens: spargit. W. M. — 28. Emittet: Mittet. W. M. — et liquefatiet ea: *corr. cum* W, *et* M, *ex*, eliquet eam.

Non fecit taliter omni genti:, et iuditia sua non demonstravit eis.

PSALMUS CXLVIII.

f. 56. ✠ Laudate Dominum de caelis: laudate eum in excelsis.

Laudate eum, omnes Angeli eius: laudate eum, omnes Virtutes eius.

Laudate eum, sol et luna: laudate eum, omnes stellae et lumen.

Laudate eum, caeli caelorum: et aquae omnes, quae super caelos sunt, laudent nomen Domini.

Quia ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt.

Statuit ea in aeternum et in saeculum saeculi: praeceptum posuit, et non praeteribit.

Laudate Dominum de terra: dracones et omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glacies: spiritus procellae, qui faciunt verbum eius.

Montes et omnes colles: ligna fructifera, et omnes cedri.

Bestiae et omnia iumenta: serpentes et volucres pennatae.

Reges terrae et omnes populi: principes et omnes iudices terrae.

Iuvenes et virgines, seniores cum iunioribus: laudent nomen Domini.

Quia exaltatum est nomen eius solius; confessio eius super caelum et terram: et exaltavit cornu populi sui.

Hymnus omnibus sanctis eius: filiis Israel, populo appropinquanti sibi.

PSALMUS CXLIX.

Cantate Domino canticum novum: laudatio eius in ecclesia sanctorum.

Laetetur Israel in eo qui fecit ipsum: et filii Syon exultent super Regem suum.

Laudent nomen eius in choro: in tympano et psalterio psallant ei.

Quia beneplacitum est Domino super populo suo: et exultabit mansuetos in salutem.

Exultabunt Sancti in gloria: laetabuntur in cubilibus suis.

Exultationes Dei in faucibus eorum: et gladii bis acuti in manibus eorum.

Ad faciendam vindictam in nationibus: increpationes in populis.

Ad alligandos reges eorum in compedibus: et nobiles eorum in vinculis ferreis.

Ut faciant in eis iuditium conscriptum: gloria haec est omnibus sanctis eius.

PSALMUS CL.

Laudate Deum in Sanctis eius: laudate eum in firmamento virtutis eius.

Laudate eum in potentatibus eius: laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius.

Laudate eum in sono tubae: laudate eum in psalterio et cithara.

Laudate eum in tympano et choro: laudate eum in chordis et organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis: omnis spiritus laudet Dominum.

HYMNUS TRIUM PUERORUM

Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, et laudabilis et gloriosus in saecula.

Et benedictum nomen gloriae tuae, quod est sanctum et laudabile et gloriosum in ⁑ saecula. f. 56r.

Benedictus es in templo sancto gloriae tuae, et laudabilis et gloriosus in saecula.

3. super: in. W. M. — 4. exultabit: exultavit. W. M. — 10. in: et in. M.

Benedictus es super sedem sanctam deitatis tuae, et laudabilis et gloriosus in saecula.

Benedictus es super thronum sanctum regni tui, et laudabilis et gloriosus in saecula.

Benedictus es super sceptra divinitatis tuae, et laudabilis et gloriosus in saecula.

Benedictus es, qui sedes super Cherubim et Seraphim, et laudabilis et gloriosus in saecula.

Benedictus es, qui ambulas super pennas ventorum et super undas maris, et laudabilis et gloriosus in saecula.

Benedicant te omnes Angeli et Sancti tui, et laudabilem et gloriosum in saecula.

Benedicant te caeli, terra, mare et omnia quae in eis sunt, et laudabilem et gloriosum in saecula.

CANTICUM ESAIAE PROPHETAE.

De nocte vigilat spiritus meus: ad te, Deus:

Quia lux est praecepta tua super terram.

Iustitiam discite, qui habitatis terram: cessavit enim impius.

Omnes qui non didicerint iustitiam super terram: veritatem non facient.

Tollatur impius: ne videat maiestatem Domini.

Domine Deus, excelsum est brachium tuum, et nescierunt: dum autem cognoverit confundentur.

Zelus apprehendit populum ineruditum: et nunc ignis adversarios consumit.

Domine Deus noster, pacem da nobis: omnia enim reddidisti nobis.

Domine Deus noster, posside nos; Domine, praeter te alium nescimus: nomen tuum nominamus.

14. M. *add. per extensum:* Gloria Patri,... et laudabili et glorioso, etc. Sicut erat.... Amen, et laudabili et glorioso, etc. (*ant.*) Benedictus es, Domine Deus. — 17. est: *om.* W. — 20. Omnes.... didicerint.... fatient: Omnis... didicerit.... fatiet. W. M. — 24. cognoverit: adveneris. W. M. — 27. pacem: pacem tuam. W. M.

Mortui autem vitam non videbunt: neque medici suscitabunt.

Ideo superinduxisti: et perdidisti omnem masculum eorum.

Adde illis mala, Domine: adde mala omnibus gloriosis terrae.

Domine, in tribulatione memor fui tui: in tribulatione modica eruditio tua est nobis.

Et sicut parturiens, proxima ut pareret, et in dolore suo exclamavit: ita facti sumus dilecto tuo.

Propter timorem tuum, Domine, in utero accepimus, et doluimus, et peperimus spiritum salutis tuae: et fecimus super terram.

Si cadent qui habitant super terram; exsurgent mortui, et resurgent qui in monumentis sunt: et laetabuntur qui sunt super terram.

Ros enim, qui abs te est, sanitas est illis: terra vero impiorum peribit.

Ambula, populus meus: intra in recessus tuos.

Claude ostium tuum, et abscondet me post illud aliquantulum: donec transeat ira Domini.

ORATIO ANNAE PRO SAMUHEL PROPH.

Confirmatum est cor meum in Domino: et exaltatum est cornu meum in Deo meo.

Dilatatum est os meum super inimicos meos: laetor ego in salute tua.

Quia non est sanctus quomodo Dominus; et non est iustus quomodo Deus noster: et non est sanctus praeter te.

Nolite gloriari superbe, et nolite loqui excelsa: et non exeat verbum magnum ex ore vestro.

9. et in: et *om.* W. M. — 10. dilecto: *corr. ex* directo *cum* W. *et* M. — 14. Si cadent: Sic cadent. W. M. — habitant: inhabitant. W. M. — 19. populus: popule. M. — intra: *corr. ex* intrat; W. M. et intra. — 20. abscondet me: absconde te. W. M. — 27. Quia: Quoniam. W. M. — 29. et nolite; W *om.* et.

Quoniam Deus scientiae Dominus: Deus praeparat voluntates suas.

· 57. ✠ Arcum potentium infirmavit Dominus: et infirmos praecinxit virtutem.

Pleni panibus minorati sunt: et esurientes transierunt terram.

Sterilis peperit septem: et foetosa filiis infirmata est.

Dominus mortificat, et vivificat: deducit ad inferos, et reducit.

Dominus pauperes et divites facit: humiliat, et exaltat.

Suscitans a terra pauperem: et de stercore suscitans inopem.

Et sedere facit eum cum potentibus plebis: et sedem gloriae possidere facit eum.

Dat votum orandi: et benedicet annos iusti.

Quia non in virtute sua potens est vir: Dominus infirmum facit adversarium eius, Dominus sanctus.

Non glorietur sapiens in sapientia sua; neque glorietur potens in virtute sua: neque glorietur dives in divitiis suis.

Sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et intelligere Dominum: facere iudicium et iustitiam super terram.

Dominus ascendit caelos, et tonavit: et ipse iudicabit et extrema terrae, quia sanctus est:

Dans virtutem regibus nostris: et exaltavit cornu Christi sui.

CANTICUM ABBACUCH PROPHETAE

Domine, audivi auditionem tuam: et timui;

Consideravi opera tua: et expavi.

In medio duorum animalium innotescens; in eo dum

1. praeparat: qui praeparat. W. M. — 7. filiis: in filiis. W. M. — 11. pauperem: M. *mendose* inopem. — 15. Dat: Dans. W. M. — orandi: W. *2 ma. corr.* oranti. — benedicet: benedicens. W. M. — 22. facere: et facere. W. — 23. caelos: in caelos. W. M. — tonavit: tonabit. M. — 24. et: *om.* W.

appropinquaverint anni, cognosceris: dum advenerit tempus, ostenderis.

In turbatione animae meae: in ira, misericordiae memoraberis.

Deus a Libano venit: et Sanctus de monte umbroso et opaco.

Operuit caelos maiestas Domini: et laude eius plena est terra.

Splendor eius sicut lumen erit: cornua sunt in manibus eius.

Posuit dilectionem firmam virtutis suae; ante faciem eius ibit verbum: et exibunt in campum pedes eius.

Stetit, et commota est terra: respexit, et defluxerunt gentes.

Confracti sunt montes vehementer, et defluxerunt colles aeternales.

Itinera saecularia eius prae laboribus; vidit tabernacula Aethiopum: et expavescens tabernacula terrae Madian.

Numquid in fluminibus irasceris, Domine; aut in fluminibus ira tua: aut in mari impetus tuus?

Quoniam ascendens et ascendens super equos tuos: et equitatus tuus sanitas.

Intendes et extendes arcum tuum super sceptra: dicit Dominus.

Fluminum rumpitur terra: videbunt te, et dolebunt populi.

Aspergens aquas itineris: dedit abyssus vocem suam, ab altitudine phantasiae suae.

Elevatus est sol: et luna stetit in ordine suo.

In lumine iacula tua ibunt: in splendore fulgoris arma tua.

In comminatione minorabis terram: et in furore tuo deduces gentes.

5. venit: veniet. W. M. — 7. Domini: eius. W. M. — 18. expavescens: expavescent. W. — 21. et ascendens: ascendes. W. et ascendes. M. — 23 Intendes, etc.: Intendens et extendens. W. M.

Existi in salutem populi tui; ut salvos facias christos tuos.

Misisti in capita inimicorum ‡ mortem: excitasti vin- f. 57'. cula usque ad cervicem in finem.

Praecidisti in pavore capita potentium: movebuntur in ea gentes.

Adaperient aures suas: sicut edens pauper in absconso.

Misisti in mare equos tuos: turbantes aquas multas.

Custodivit et expavit venter meus: a voce obsecrationis labiorum meorum;

Et introivit tremor in ossa mea: et subtus me turbata est virtus mea.

Et requiescam in die tribulationis: ut ascendam ad populum transmigrationis meae.

Quoniam ficus non afferet fructum: et non erit generatio in vineis.

Mentietur opus olivae: et campi non faciunt escas.

Defecerunt ab esca oves: et non sunt ad praesepia boves.

Ego autem in Domino exultabo: gaudebo in Deo salutari meo.

Domine Deus, virtus mea: statue pedes meos in consummatione;

Super excelsa imponet me: ut vincam in gloria ejus.

CANTICUM IONAE PROPHETAE.

Clamavi ad Dominum Deum meum: in tribulatione mea.

Et exaudivit de ventre inferni clamorem meum: et exaudisti vocem meam.

Proiecisti me in altitudinem cordis maris: et flumina me circumdederunt.

Omnes altitudines tuae: et fluctus tui super me transierunt.

Et ego dixi: Expulsus sum ab oculis tuis: forsitan adiiciam, ut respiciam ad templum sanctum tuum.

6. aures suas: ora sua W. M. — 12. tribulationis: tribul. meae. W. M. — 16. faciunt: facient. W. — 25. Et exaudivit: Exaudivit me (sic) M.

Circumfusa est mihi aqua usque ad animam meam: abyssus circuivit me.

Postremum est caput meum in scissuris montium: descendit in terra, cuius vectes sunt continentes aeterni.

Et ascendit corruptio vitae meae: ad te, Domine, Deus meus.

In hoc quod defecit anima mea a me : Domine, memoratus sum;

Et veniat oratio mea ad templum sanctum tuum: observantium vana et falsa, misericordiarum suarum dereliqui.

Ego autem cum voce confessionis et supplicationis immolabo tibi:

Quaecumque vovi reddam tibi, Salvatori meo, Domino.

CANTICUM ZACHARIAE.

Benedictus Dominus, Deus Israel: quia visitavit et fecit redemptionem plebis suae;

Et erexit cornu salutis nobis: in domo David pueri sui:

Sicut locutus est per os sanctorum prophetarum suorum: qui ab aevo sunt;

Dare salutare de inimicis nostris: et de manu omnium qui oderunt nos;

Ad faciendam misericordiam cum patribus ‡ nostris: et f. 58.
memorare testamenti sancti sui.

Iusiurandum quod iuravit ad Abraham, patrem nostrum, daturum se nobis: ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati,

Serviamus illi in sanctitate et iustitia coram ipso: omnibus diebus nostris.

3. descendit: W *1 ma.* descendit, *sed ras. t. fin:* et descendit M. — 5. ascendit: ascendat. W. — 7. Domine: Domini Dei mei. W. Domini mei. M. — 9. veniat: veniet. M. — observatium.... dereliqui: W *1 ma.* observantium.... misericordiarum suarum deliqui (?) *sed postea corr.* observantes.... misericordiam suam deliqui. — observantes vana et falsa misericordiarum suarum delinquent. M. — 14. CANTICUM ZACHARIAE *suppl. in hac ed.* — 17. cornu salutis nobis: nobis cornu salutis M. — 18. prophetarum: et prophetarum M.

Et tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis: praeibis enim ante faciem Domini parare vias eius;

Ad dandam scientiam salutis plebi eius: in remissionem peccatorum nostrorum.

Per viscera misericordiae Dei nostri: in quibus visitavit nos Oriens ex alto.

Inluminare eos qui in tenebris et umbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

CANTICUM DEUTERONOMII.

Attende, caelum, et loquar: et audiat terra verba ex ore meo.

Exspectetur sicut pluvia pronunciatio mea: et descendat sicut ros verba mea,

Sicut imber super gramen, et sicut nix super foenum: quoniam nomen Domini invocabo.

Date magnitudinem Domino Deo nostro: Deus, vera sunt opera eius, et omnes viae eius iudicia:

Deus fidelis, et non est iniquitas in eo: iustus et sanctus Dominus.

Peccaverunt nonne ei filii inmaculati? Natio prava et perversa, haec Domino retribuisti?

Hic populus stultus et non sapiens? Nonne hic ipse tuus est pater, qui possedit te, et fecit te, et creavit te?

Et rememoramini diem saeculi: intelligite annos generationis generationum.

Interroga patrem tuum, et indicabit tibi: seniores tuos et dicent tibi:

Cum dispertiretur Excelsus gentes: ut disseminaret filios Adam.

Constituit fines eius gentium: secundum numerum Angelorum Dei.

12. descendat: descendant. W. — 20. ei filii: eius filii. W. — 22. Hic: Sic. W. M. — 24. diem: dies. W. M. — 25. generationum: W *al. ma. add.* et; *1 ma.* M. — 26. seniores: et seniores. M. — 30. eius: *om.* W. M.

Facta est pars Domini populus eius: Iacob funiculus haereditatis ipsius Israel.

Sufficientem fecit eum in terra deserta: in siti caloris, ubi non erat aqua.

Circumduxit eum, et erudivit eum: et custodivit eum sicut pupillam oculi.

Sicut aquila tegit nidum suum: et super pullos suos circumblanditur;

Expandit pennas suas, et accepit eos: et elevavit eos super scapulas suas.

Dominus solus ducebat eos: et non erat cum eis deus alienus.

Perduxit eos in virtute terrae: satiavit eos fructibus agrorum.

Suxerunt mel de petra: et oleum de solida petra.

Butyrum bovum et lac ovium: cum adipe agnorum et arietum, filiorum taurorum et hircorum,

Cum adipe renum tritici: et sanguine uvae bibit vinum.

Manducavit Iacob, et satiatus est: et recalcitravit dilectus.

Impinguatus est, et incrassatus est: et dilatatus est;

Et dereliquit ‡ Deum, qui fecit eum: et recessit a Deo f. 58v.
salutari suo.

Et incitaverunt me in alienis: in abominationibus suis in ira compulerunt me.

Et immolaverunt me daemoniis, et non Deo, diis quos non noverant: novi ad praesens venerunt, quos nesciebant patres eorum.

Deum, qui te genuit, dereliquisti: et oblitus es Deum, qui nutrivit te.

Vidit Dominus, et zelatus est, et exacerbatus est: prae ira filiorum suorum et filiarum;

Et dixit: Avertam faciem meam ab eis: et ostendam quid erit eis in novissimis diebus;

23. in abominationibus: et in abom. W. — 25. me: *om.* M. W. — 26. noverant: noverunt. W. — venerunt. *om.* M.

Quia generatio perversa est: filii in quibus non est fides in eis.

Ipsi in zelum compulerunt me, et non Deo: in iram concitaverunt me in idolis suis:

Et ego ad zelum compellam eos et non gentem: in gentem insipientem, in ira concitabo eos.

Quia ignis accensus est ab ira mea: et ardebit usque ad inferos deorsum.

Comedet terram et nascentia eius: concremabit fundamenta montium.

Congregam in ipsis mala: et sagittae meae consument eos.

Tabescent fame, et esca erunt avium: retrotensio nervorum insanabilis.

Dentes bestiarum immittam cum eis: cum furore trahentes ad terram.

A foris interficiet natos eorum gladius: et in domiciliis timor;

Iuvenes cum virgine: lactentes mamillam cum stabilito seniore.

Et dixi: Dispergam illos: et extollam ex hominibus memoriam eorum.

Nisi propter iram inimicorum, nec longo tempore sint, et ne convertantur adversarii et dicant: Manus nostra excelsa est, et non Dominus fecit haec omnia.

Quia gens perdita consilio est: et non est in eis disciplina.

Non sapuerunt intelligere: haec persequentur vos in futuro tempore.

Quomodo persequitur unus mille: et duo transmoverunt multa millia?

Nisi quia Deus subdidit eos: et Dominus tradidit illos.

3. Deo: Deum. W. M. — 5. ad: in. W. — 11. Congregam: *1 ma. sed ras.* r; Congeram. W. M. — 13. et esca erunt: esca eorum. M. — 15. cum eis: in eos. W. M. — 17. gladius: *corr. ex* gladiis. — 19. Iuvenes: Iuvenes eorum. M. — 21. Dispergam: disperdam, W. M. — et extollam: extollam. W. — 23. nec: ne. W. M. — 24. adversarii: adversarii eius. W. — 31. eos: illos. W.

Quia non est Deus noster, sicut dii illorum: inimici autem nostri insensati.

De vite eorum Sodomorum vinum eorum: vitis eorum vitis Gomorrhae:

Uva eorum uva fellis: botrus amaritudinis in ipsis.

Furor draconum vinum eorum: et ira aspidum insanabilis.

Nonne haec omnia congregata sunt apud me: et signata sunt in thesauris meis?

In die ultionum retribuam illis: in tempore cum lapsus fuerit pes eorum.

Quoniam prope est dies perditionis eorum: et erunt parata vobis.

Quia iudicabit Dominus plebem suam: et in servis suis consolabitur.

Vidit enim eos dissolutos: et fatigatos in abductione, et dissolutos.

Et dixit Dominus: Ubi sunt dii eorum: in quibus confidebatis in eis?

Quorum adipem sacrificiorum edebatis: et bibebatis vinum libationum eorum?

‡ Surgant nunc et adiuvent vos: et fiant vobis protectores. f. 59.

Videte, videte quoniam ego sum: et non est alius Deus praeter me.

Ego occidam, et vivere faciam; percutiam, et ego sanabo: et non est qui eripiat de manibus meis.

Quia tollam in caelum manum meam, et iurabo per dexteram meam: et dicam: Vivo ego in aeternum!

Quia exacuam, sicut fulgur, gladium meum: et suscipiet iudicium manus mea;

Et retribuam ultionem inimicis: et odientibus reddam.

Inebriabo sagittas meas sanguine: et gladius meus manducabit carnes.

A sanguine vulneratorum: et a captivitate capitis principum inimicorum.

3. vite eorum: vite enim. W. M. — 10. fuerit: *om.* W.

Laetamini, caeli, simul cum eo: et adorent eum omnes filii Dei.

Laetamini, gentes cum plebe eius: et adorent eum omnes Angeli Dei.

Quoniam sanguis filiorum eius defendetur, et vindicabit: et retribuet ultionem inimicis; et odientibus reddam.

Et emundabit Dominus: terram populi sui.

CANTICUM MOYSI PROPHETAE

Cantemus Domino: gloriose enim honorificatus est.

Equum et ascensorem: proiecit in mare.

Adiutor et protector: factus est mihi in salutem.

Hic Deus meus, et honorificabo eum: Deus patris mei et exaltabo eum.

Dominus conterens bella: Dominus nomen est ei.

Currus Pharaonis et exercitum eius: proiecit in mare.

Electos ascensores ternos stantes: demersit in Rubro mari.

Pelagus operuit eos: merserunt in profundum tamquam lapis.

Dextera tua, Domine, glorificata est in virtute: dextera manus tuae, Domine, confringat inimicos:

Et per multitudinem gloriae tuae: contrivisti adversarios.

Misisti iram tuam, et comedit eos tamquam stipulam: et per spiritum irae tuae divisa est aqua.

Gelaverunt tamquam murus aquae: gelaverunt fluctibus in medio mari.

Dixit inimicus, Persequens comprehendam: partibor spolia; replebo animam meam.

Interficiam gladio meo: dominabitur manus mea.

Misisti spiritum tuum, et operuit eos mare: merserunt tamquam plumbum in aquam validissimam.

1. omnes: *om.* M. — 5. defendetur: *om.* M. — 16-17. Rubro mari: Rubrum mare. W. M. — 18. merserunt: mare merserunt. M. — 20. Domine: *om.* W. — 21. tuae, Domine: tua. W. — 23. tuam: *om.* W. — 25. fluctibus: fluctus. W. — 29. dominabitur: et dominabitur. M. — 30. eos: *om.* W.

Quis similis tibi in diis, Domine? aut quis similis tibi, gloriosus in sanctis?

Mirabilis in maiestatibus faciens prodigia: extendisti dexteram tuam, et devoravit eos terra.

Gubernasti iustitia tua populum tuum hunc: quem liberasti;

Exhortatus es in virtute tua: in refectione sancta tua.

Audierunt gentes, et iratae sunt: dolores apprehenderunt omnes inhabitantes ✝ Philistim. f. 59'.

Tunc festinaverunt duces Edom: et principes Moabitarum.

Apprehendit eos tremor: et defluxerunt omnes inhabitantes Chanaan.

Decidat super eos timor et tremor: magnitudine brachii tui fiant tamquam lapis,

Donec transeat populus tuus, Domine: donec transeat populus tuus hic, quem adquisisti.

Induc et planta eos in monte haereditatis tuae, in praeparato habitaculo tuo, quod praeparasti, Domine: sanctuarium, Domine, quod praeparaverunt manus tuae.

Dominus regnans in aeternum: et super saeculum et adhuc;

Quoniam introivit equitatus Pharaonis cum curribus et ascensoribus in mare: et induxit super eos Dominus aquas maris.

Filii autem Israel ambulaverunt per aridam: in medio mari.

HYMNUS TRIUM PUERORUM.

Benedicite, omnia opera Domini, Domino.

Benedicite, caeli, Domino.

Benedicite, Angeli Domini, Domino.

Benedicite, aquae omnes, quae super caelo sunt, Domino.

Benedicite, omnes Virtutes Domini, Domino.

Benedicite, sol et luna, Domino.

7. in refectione: et in ref.... W. — 10. et: *om.* W. — 13. magnitudine: *corr. ex* magnitudinem. — 16. hic: huc. W. — 18. Domine: *om.* M. — sanctuarium: sanctuarium tuum. M. — 31. caelo: caelos. W.

Benedicite, stellae caeli, Domino.
Benedicite, omnis imber et ros, Domino.
Benedicite, omnis spiritus, Domino.
Benedicite, ignis et aestus, Domino.
Benedicite, noctes et dies, Domino.
Benedicite, lumen et tenebrae, Domino.
Benedicite, frigus et aestus, Domino.
Benedicite, pruina et nives, Domino.
Benedicite, fulgura et nubes, Domino.
Benedicat terra Domino.
Benedicite, montes et colles, Domino.
Benedicite, omnia nascentia in terra, Domino.
Benedicite, maria et flumina et fontes, Domino.
Benedicite, cete et omnia quae moventur in aquis, Domino.
Benedicite, volucres caeli, Domino.
Benedicite, bestiae et omnia iumenta, Domino.
Benedicite, filii hominum, Domino.
Benedicat Israel Domino.
Benedicite, sacerdotes Domini, Domino.
Benedicite, servi Domini, Domino.
Benedicite, spiritus et animae iustorum, Domino.
Benedicite, Sancti et humiles corde, Domino.
Benedicite, Anania, Azaria et Misahel, Domino.
Benedicamus Patrem, et Filium, et Sanctum Spiritum.
Hymnum dicamus, et super exaltemus eum in saecula.

ORATIO SANCTAE MARIAE.

Magnificat anima mea Dominum: et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillae suae: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes;

Quia fecit mihi magna qui potens est: et sanctum nomen eius:

Et misericordia eius a saeculo et in saeculum: super timentes eum.

Fecit potentiam in brachio suo: dissipavit superbos mente cordis eorum.

Deposuit potentes de sede: et exaltavit humiles.

Esurientes satiavit bonis: et divites ‡ dimisit inanes. f. 60.

Suscepit Israel puerum: memor misericordiae suae;

Sicut locutus est ad patres nostros, ad Abraham, et semini eius usque in aeternum.

HYMNUS FIDEI CATHOLICAE.

Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat catholicam fidem.

Quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in aeternum peribit.

Fides autem catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in Unitate veneremur.

Neque confundentes personas, neque substantiam separantes.

Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti:

Sed Patris, et Filii, et Spiritus Sancti una est divinitas, aequalis gloria maiestas.

Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus.

Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus.

Inmensus Pater, inmensus Filius, inmensus Spiritus Sanctus.

Aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus Sanctus:

Et tamen non tres aeterni; sed unus aeternus.

Sicut non tres increati, nec tres inmensi; sed unus increatus, et unus inmensus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus:

5. puerum: puerum suum. M. — 11. servaverit: *om.* W. — 22. gloria maiestas: gloria quo aeterna maiestas. W. gloria coaeterna maiestas. M.

Et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus:

Et tamen non tres Dii, sed unus est Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus:

Et tamen non tres Domini, sed unus est Dominus.

Quia sicut singillatim unamquamque personam Deum et Dominum confiteri christiana veritate compellimur; ita tres Deos aut tres Dominos dicere catholica religione prohibemur.

Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus.

Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus.

Spiritus Sanctus a Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

Unus ergo Pater, non tres Patres: unus Filius, non tres Filii; unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti.

Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus; sed totae tres Personae coaeternae sibi sunt et coaequales.

Ita ut per omnia, sicut iam supra dictum est, et Trinitas in Unitate, et Unitas in Trinitate, veneranda sit.

Qui vult ergo salvus esse, ita de Trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad aeternam salutem, ut Incarnationem quoque Domini nostri Ihesu Christi fideliter credat.

Est ergo fides recta, ut credamus et confiteamur, quia Dominus noster Ihesus Christus Dei Filius, Deus et homo est.

Deus est ex substantia Patris ante saecula genitus, et homo est ex substantia Matris in saeculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens.

Aequalis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem.

Qui licet Deus sit et homo; non duo tamen, sed unus est Christus.

27-28. et homo: et, *om.* W. M.

Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum.

Unus omnino non confusione substantiae, sed unitate personae.

Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus:

Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis:

✝ Ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Patris om- f. 60'.
nipotentis, inde venturus iudicare vivos et mortuos.

Ad cuius adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem.

Et qui bona egerunt ibunt in vitam aeternam: et qui vero mala in ignem aeternum.

Haec est enim fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.

14. et qui: qui. M. — 17. W. et M. *add.:* Gloria Patri.

IN XPI NOMINE
INCIPIT MARTYROLOGIUM

IANVARIUS HABET DIES XXXI.

IANI PRIMA DIES: ET SEPTIMA FINE TIMETVR

A *KL* *IAN.* OCTAVA DNI ET CIRCVMCISIO DNI NRI IHV XPI SECUNDUM CARNEM (*).

Obiit pbr. Guido, qui iudicavit st. VII in terra de Vuldomino de Dongmeras (?) qui fecit....

Obiit Albertus custos....

B *IIII* *NON.*

C *III* *NO.*

D *PRID.* *NO.*

E *NON.* VIGILIA EPIPHANIAE.

F *VIII* *ID.* EPIPHANIA DNI.

G *VII* *ID.* DNS IN DESERTVM IIT.

Obiit uxor Anrici de Deliani qui iudicavit sol. VIII.

A *VI* *ID.* YEMIS MEDIVM.

B *V* *ID.* *Dedicatio sci Georgii de bro* (1).

Obiit Martinus filius Guidobonae qui iudicavit sol. X.

(*) In marg. vel super lin. ad singulos dies additae sunt aliis manibus notae necrologicae vel nomina sanctorum, quae, litteris vulgo *cursivis,* suis locis in hac ed. indicantur: nonnullae tamen additiones pene evanuerunt.

(1) Fortasse legendum: *Bedero.*

C	*IIII*	*ID.*	EDVCTIO DNI DE EGIPTO.
D	*III*	*ID.*	
E	*PRID.*	*ID.*	
F	*IDVS*		*Sci Ilarii.*
G	*XVIIII*	*KL.*	DEPOSITIO SCI DATI EPI.
A	*XVIII*	*KL.*	*Obiit Pelionus filius Beltramni Mutii die XV ianuarii.*
B	*XVII*	*KL.*	*S. Marcelli Mar.*
C	*XVI*	*KL.*	*S. Antonii.* *Obierunt Alcarda uxor Piroxi et Lanfrancus eius filius, pro quibus ecclesia habuit sol. XII. ter.*
D	*XV*	*KL.*	
E	*XIIII*	*KL.*	SCI BASSIANI EPI. IN LAUDE.
F	*XIII*	*KL.*	SCOR. MAR. SEBASTIANI ET SOLVTORIS.
G	*XII*	*KL.*	SCAE AGNETIS VIRG.
A	*XI*	*KL.*	SCI VINCENTII LEVITAE ET MAR. *Obiit Bonda de Berradcio dedit sol. X.*
B	*X*	*KL.*	
C	*VIIII*	*KL.*	SCOR. BABILAE ET TRIVM PARVVLORUM.
D	*VIII*	*KL.*	CONVERSIO PAVLI APLI.
E	*VII*	*KL.*	*Dona Inmelda de Germaniga iudicavit cortinam unam huic ecclesiae.*
F	*VI*	*KL.*	
G	*V*	*KL.*	
A	*IIII*	*KL.*	*Obiit Susanna uxor Iohannis de Silua, qui iudicavit pro anima sua sol. V ter.* *Obiit Alegrantia Mutii die XXVIIII ianuarii.*
B	*III*	*KL.*	
C	*PRID.*	*KL.*	SCI IVLII PBRI ET CONFESSORIS.

FEBRVARIVS HABET DIES XXVIII.

AST FEBRVARII QVARTA F. *(sic)* PRAECEDIT III.[A] FINE.

D	*KL*	*FEB.*	SCI SEVERI CONFESSORIS: ET SCAE BRIGIDAE VIRG. IN SCOT.
E	*IIII*	*NO.*	YPAPANTI DNI QUOD EST: PVRIFICATIO SCAE MARIAE. *Obiit Astulfus de.... Germinaca.... sol. X scae Mariae.*

F *III* *NO.* SCI. BLASI EPI. ET MAR.
Dona Franca de Luuixa sol. X.
G *PRID.* *NO.* SCAE VERONICAE VIRG.
Obiit Albericus custos qui iudicavit staria octo milii et duo nucis ad starium caneve et.... den. unum tertiol.
Obiit Baldicianus de Luuino.
A *NON.* SCAE AGATHAE VIRG. ET MAR.
B *VIII* *ID.* *Obiit....*
C *VII* *ID.* PAPIAE IVVENTI EPI. SCA EVGENIA. — *PRIMA VERA.*
Sci Mathiae apostoli.
D *VI* *ID.* *Sci Dionixii et scae Ellenae Mar.*
Obiit pbr. Ubertus de Sala.
Obiit Baldicius de Bisola positus.... labore gradus.
Scarum Polloniae (sic) et Ellenae Vir.
E *V* *ID.*
F *IIII* *ID.* SCAE SCOLASTICAE VIRG.
G *III* *ID.* *Sci Gregorii papae.*
A *PRID.* *ID.*
B *IDVS.*
C *XVI* *KL.* *Obiit pbr. Otto de Luuino, qui iudicavit, missale unum et sol. XX tertiol.*
Obiit Mutius (?) de Germ.... qui iudicavit....
D *XV* *KL.* SCORVM MAR. FAVSTINI ET IOBITTAE.
E *XIIII* *KL.*
F *XIII* *KL.*
G *XII* *KL.*
A *XI* *KL.*
B *X* *KL.*
C *VIIII* *KL.* *Obiit Guidus de monte qui iudicavit sol. X....*
D *VIII* *KL.* CATHEDRA SCI PETRI.
Obiit Martinus....
E *VII* *KL.*
F *VI* *KL.*
G *V* *KL.*
A *IIII* *KL.* *Obiit pbr. Arnulfus....*
B *III* *KL.*
C *PRID.* *KL.*

MARTIUS HABET DIES XXXI.

MARTIS PRIMA NECAT: SI CVSPIDE QVARTA EST:

D	*KL*	*MART.*	
E	*VI*	*NO.*	
F	*V*	*NO.*	
G	*IIII*	*NO.*	
A	*III*	*NO.*	*Obiit Dna Allegrantia de Grandia (?) quae iudicavit....* *Obiit Martinus de Rancio qui iudicavit.*
B	*PRID.*	*NO.*	*Obiit pbr. Iacobus Lucela (?) qui iudicavit.*
C	*NON.*		
D	*VIII*	*ID.*	
E	*VII*	*ID.*	
F	*VI*	*ID*	*Obiit Oto clericus de Monte Agarino, qui iudicavit sol. XX....*
G	*V*	*ID.*	DEPO. SCI BENEDICTI EPI.
A	*IIII*	*ID.*	DEPO. SCI GREGORII PAPAE ROMA.
B	*III*	*ID.*	
C	*PRID.*	*ID.*	DEPO. SCI LAZARI EPI.
D	*IDVS.*		*Ufredus filius Martini de Bunliis(?) sol. IIII.*
E	*XVII*	*KL.*	
F	*XVI*	*KL.*	
G	*XV*	*KL.*	
A	*XIIII*	*KL.*	
B	*XIII*	*KL.*	
C	*XII*	*KL.*	SCI BENEDICTI ABBATIS CONFES.
D	*XI*	*KL.*	
E	*X*	*KL.*	
F	*VIIII*	*KL.*	
G	*VIII*	*KL.*	ANNVNTIATIO SCAE MARIAE ET PASSIO DNI NRI. *Obiit dna Roxa uxor Iacobi. sol. V.*
A	*VII*	*KL.*	
B	*VI*	*KL.*	SCI MARCI MAR. *Obiit Gisla uxor Albertoni de Bedero sol. IIII ter.*
C	*V*	*KL.*	DEP. SCI THEODORI EPI. *Obiit Iohannes pbr. de Colano (?) qui iudicavit plebi....*

D *IIII* *KL.*
E *III* *KL.* SCI SECVNDI MAR. IN ASTE.
F *PRID.* *KL.*

APRILIS HABET DIES XXX.

APRILIS DECIMA ET VNDENA FINE MINATVR:

G *KL* *APRILIS.*
A *IIII* *NON.*
B *III* *NO.* *Obiit Iohannes Lunella qui iudicavit sol. V.*
C *PRID.* *NO.* *Obiit Iohannis Lunella qui iudicavit sol. XVI* (sic).
D *NONAS.* DEPOSITIO SCI AMBROSII ARCHIEPI.
E *VIII* *ID.*
F *VII* *ID.*
G *VI* *ID.*
A *V* *ID.*
B *IIII* *ID.*
C *III* *ID.*
D *PRID.* *ID.* *Obiit* (sic) *magister Albertus et Ubertus pbr. nepos eius; pro quibus habemus staria II siliginis et unum tritici ad mensuram Mediolani.*
E *IDVS.*
F *XVIII* *KL.*
G *XVII* *KL.* *Obiit Iohanna de facta (?) de.... sol. IIII ter.*
Obiit Lanfrancus de.... (sic) *qui iudicavit sol. X.*
A *XVI* *KL.* *Obiit Anricus de Caminada qui iudicavit sol. X.*
B *XV* *KL.*
C *XIIII* *KL.* SCI CALOCERI MAR.
D *XIII* *KL.* SCI POLOCRONI EPI. MAR.
E *XII* *KL.*
F *XI* *KL.*
G *X* *KL.* PAS. SCOR. SACERDOTUM PARMENI HAELIMAE GRISOTELLI ET DIAC. LUCI ET MUCI.
Obiit Guidotus de Lupo, fuit de Somma, qui iudicavit libras....

A *VIIII* *KL.* DEPOSITIO MAROLI EPI.
B *VIII* *KL.* SCI GEORGII MAR.
Obiit condam Albertoni.... de.
C *VII* *KL.* SCI MARCI EVANGELISTAE.
D *VI* *KL.*
E *V* *KL.*
F *IIII* *KL.* SCORVM VITALIS ET VALERIAE.
G *III* *KL.* *Sci Petri Martyris.*
....robe de Bedale (?) dedit pro anima sua gansape unum altari Scae. Mariae.
A *PRID.* *KL.*

MAIVS HABET DIES XXXI (1).

TERTIVS IN MAIO LVPVS EST. ET SEPTIMVS ANGVIS.

B *KL* *MAI.* SCORVM APOSTOLORVM PHILIPPI ET IACOBI.
C *VI* *NO.*
D *V* *NO.* INVENTIO SCAE CRUCIS.
Obiit Ardericus clericus.
E *IIII* *NO.* *Sci Gotardi.*
F *III* *NO.* DEPO. GERONTI EPI. ASCENSIO DNI AD CELOS.
G *PRID.* *NOV.* DEP. SCI VENERI EPI.
A *NONAS.* *Flora uxor Aiardi de Selva. sol. XXX.*
Obiit . . . .
B *VIII* *ID.* SCI VICTORIS AD VLMVM.
C *VII* *ID.* RECONDITAE SVNT RELIQUIAE APOSTOLORVM IN ROMA *(sic).*
D *VI* *ID.* TRANSLATIO SCI NAZARII.
Dedicatio ecclesiae Sci Euxebii de Agra.
. . . .
E *V* *ID.* *Obiit Gloffa de Silva quae iudicavit, sol. IIII.*

(1) *In marg. al. ma.:*
" Albertus custos de Degoniza.... sol. X.
Obiit Loterius clericus qui iudicavit den. XXI minas tres siliginis.... panici, ita ut Loterius nepos eius semper debeat vel si....
.... agerius de V. ira (?) qui iudicavit sol. III.
Obiit Dominicus.... de Brixago qui iudicavit sol. X. „

F	*IIII*	*ID.*	SCI PANCRATII MAR. ROMAE.
G	*III*	*ID.*	*Dedicatio ecclesiae sancti Ambrosii de Montegarino.*
A	*PRID.*	*ID.*	TRANS. SCI VICTORIS. ET PASSIO SCORVM FELICIS ET FORTUNATI. *Dedicatio ecclesiae Sci Petri de Bradarozio (?).*
B	*IDUS.*		
C	*XVII*	*KL.*	*Obiit Bellonus custos huius ecclesiae.*
D	*XVI*	*KL.*	TRANS. SCI SYRI EPI. PAPIAE.
E	*XV*	*KL.*	
F	*XIIII*	*KL.*	
G	*XIII*	*KL.*	TRANS. SCI MATERNI EPI.
A	*XII*	*KL.*	
B	*XI*	*KL.*	
C	*X*	*KL.*	
D	*VIIII*	*KL.*	*Obiit Albertus de Brissgara (sic) sol. V.*
E	*VIII*	*KL.*	DEPOS. SCI DIONISI EPI. CONF. *Obiit Algixius de.... qui iudicavit sol. decem tertiol.*
F	*VII*	*KL.*	SCI THEODORI MAR.
G	*VI*	*KL.*	
A	*V*	*KL.*	
B	*IIII*	*KL.*	PASSIO SCORVM SISINNII MARTIRII ET ALEXANDRI.
C	*III*	*KL.*	PETRI ET LAVRENTI AD CONCILIA SCORVM.
D	*PRIDIE*	*KL.*	

IVNIVS HABET DIES XXX[1].

IVNIVS IN DECIMO QUINDENO A FINE SALVTAT.

E	*KL*	*IVN.*	*Obiit Iohannes de Silva qui iudicavit sol....* [1]
F	*IIII*	*NON.*	SCI HERASMI SACER. ET MAR.

(1) *In marg. al. ma.:*
"Obiit Girardus de Martegaria, qui iudicavit ecclesiae pro anima sua (sic)."

G	*III*	*NO.*	*Obiit Guidobonus de Biviliono qui iudicavit sol. XX.*
A	*PRID.*	*NO.*	SCORUM QVIRINI ET NICOMEDIS MAR.
B	*NON.*		
C	*VIII*	*ID.*	DEPOSITIO SCI EVSTORGII EPI.
D	*VII*	*ID.*	
E	*VI*	*ID.*	
F	*V*	*ID.*	
G	*IIII*	*ID.*	SCI PANTALEONIS MAR.
A	*III*	*ID.*	SCI BARNABE APOSTOLI AVENTV (sic).
B	*PRID.*	*ID.*	
C	*IDVS.*		
D	*XVIII*	*KL.*	SCORVM CANTIANORVM. *Obiit Marchixius clericus de Luvino qui iudicavit sol. X.*
E	*XVII*	*KL.*	SCI VITI MAR. *Obiit Lanfrancus Certadus (?) qui iudicavit sol. XX.*
F	*XVI*	*KL.*	*Obiit Roba (sic) de Beradi (sic) sol. V tert. pro anima eius sol. V.*
G	*XV*	*KL.*	
A	*XIIII*	*KL.*	
B	*XIII*	*KL.*	SCORVM MARTIRVM PROTASII ET GERVASII.
C	*XII*	*KL.*	
D	*XI*	*KL.*	
E	*X*	*KL.*	SCI IVLIANI MAR.
F	*VIIII*	*KL.*	
G	*VIII*	*KL.*	NATIVITAS SCI IOHANNIS BAPTISTE.
A	*VII*	*KL.*	SCE FEBRONIAE VIRG. ET MAR.
B	*VI*	*KL.*	SCORVM MARTIRVM IOANNIS ET PAULI. *Obiit Lanfranctus de.... qui iudicavit sol. X.*
C	*V*	*KL.*	
D	*IIII*	*KL.*	*Obiit Albertus de vello (?) qui iudicavit sol....*
E	*III*	*KL.*	SCORVM APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI.
F	*PRID.*	*KL.*	*Lanfrancus clericus qui iudicavit libras octo et tria condicia vini in anniversario suo.*

IVLIUS HABET DIES XXXI.

TERDECIMVS IVLIVS: DECEM INNVIT ANTE KL.

G *KL* *IVLIAS.*
A *VI* *NO.* *Obiit Iohannes Lunellio (?) iudicavit sol. X.*
B *V* *NO.* TRANS. SCI THOMAE APOSTOLI.
C *IIII* *NO.*
D *III* *NO.* SCE MARGARITAE VIRG.
E *PRID.* *NO.*
F *NON.* *IVL.*
G *VIII* *ID.*
A *VII* *ID.* *Obiit Guilelmus de loco Cossani qui iudicavil sol. X....*
B *VI* *ID* *Obiit Guilielminus de roba de Beradi (sic) sol. II.*
C *V* *ID.*
D *IIII* *ID.* SCORVM MAR. NABORIS ET FELICIS. *Sci Lugutioni (sic).*
E *III* *ID.*
F *PRID.* *ID.* *Obiit Martinus filius Romusini (?) a quo habemus sol. tres.*
G *IDVS* *IVL.*
A *XVII* *KL.* SCI QVIRICI MAR.
B *XVI* *KL.* SCE MARCELLINE VIRG.
C *XV* *KL.* DEPOSITIO SCI MATERNI EPI. *Obiit A....mistaus (?) de Orio qui iudicavit sol....*
D *XIIII* *KL.* *Obiit Sibona de romana sol. III.* f. 63'.
E *XIII* *KL.*
F *XII* *KL.*
G *XI* *KL.* *Sce Marie Madelene* (1).
A *X* *KL.* SCI APOLLINARIS EPI. MAR. RAVENNA. *Obiit Marcadinus (?) clericus de Bradizio.*
B *VIIII* *KL.*

(1) *In marg. al ma.:*
"Obiit Lanfrancus de Bixela qui iudicavit sol. X.
Obiit Gualdrada uxor Petronis (?) pro qua sol.... in labore gradus.
Obiit Viviano (?).... de Agra, iudicavit sol. X „.

C	*VIII*	*KL.*	SCI IACOBI APOSTOLI, ET SCE CHRISTINAE, ET SCI CHRISTOFORI MAR.
D	*VII*	*KL.*	
E	*VI*	*KL.*	
F	*V*	*KL.*	SCORVM NAZARII ET CELSI MAR. *Obiit pbr. Ansermus (sic) iudicavit sol. L.*
G	*IIII*	*KL.*	PROCESSIO AD SCM CELSVM.
A	*III*	*KL.*	*Obiit Beltraminus Muti de Portu die XXX iullii.*
B	*PRID.*	*KL.*	SCI KALIMERI EPI. ET MAR.

AVGVSTVS HABET DIES XXXI (1).

AVGVSTI NEPA PRIMA FVGAT DE FINE SECVNDA.

C	*KL*	*AVG.*	SCORVM MACHABEORVM ET DEP. SCI EVSEBII EPI.
D	*IIII*	*NO.*	
E	*III*	*NO.*	DEP. SCI GAVDENTI EPI NOVAR.
F	*PRID.*	*NO.*	
G	*NON.*		*Sci Dominici conf. Inventor Ordinis Praedicatorum.*
A	*VIII*	*ID.*	SCI XYSTI EPI; Felicissimi et Agapiti.
B	*VII*	*ID.*	SCORVM CARPOFORI ET DONATI.
C	*VI*	*ID.*	*Obiit pbr. Albertus de Silva.*
D	*V*	*ID.*	SCI FIRMI ET RVSTICI: VERONICE.
E	*IIII*	*ID.*	SCI LAVRENTI LEVITAE ET MAR.
F	*III*	*ID.*	SCE RADEGVNDE VIRG.
G	*PRID.*	*ID.*	. . . .
A	*IDVS*	*AVG.*	Scorum Ypoliti et Cassiani.
B	*XVIIII*	*KL.*	*Obiit Guilielmus Pelioni de Portu die XIIII.*
C	*XVIII*	*KL.*	Assumptio Sce Mariae: et trans. scorum Sesinii, Martyrii et Alexandri: et depositio Sci Simpliciani.

(1) *In marg. dx. ma.:*

„ Obiit Galdricus de Luvino qui iudicavit star.... et pan....

Obiit Gregorius de Marchisio de Gor.... sol. X.

Domina G....

Obiit Gregorius.... iudicavit den. IIII. in terra.... „

D *XVII* *KL.*
E *XVI* *KL.* Scorum Mames et Agapiti.
F *XV* *KL.* *Sci Demetri Mart.*
G *XIIII* *KL.* *Scorum Felicis et Fortunati mar.*
Obiit presbyter Petrus de Vuoldomino.
A *XIII* *KL.* *Sci Philiberti abb.*
B *XII* *KL.* SCI LVXORI MAR. f. 64.
C *XI* *KL.* PAS. SCI TIMOTHEI.
D *X* *KL.* *Scorum (sic) Flaviani Confess.*
E *VIIII* *KL.* SCI BARTHOLOMEI APOSTOLI.
Obiit Ardericus de Mascet (?) qui indicavit sestaria duo.
F *VIII* *KL.* SCI GENESII MAR.
G *VII* *KL.* SCI ALEXANDRI MAR.
A *VI* *KL.* *Sci Ruffi Mart.*
B *V* *KL.* SCI AGVSTINI EPI.
C *IIII* *KL.* DECOLLATIO SCI IOHANNIS BAPTISTAE.
D *III* *KL.* *Scorum Felicis et Audacti (sic) mart.*
E *PRID.* *KL.* SCORVM MARCI ET REBUSTIANI.
Obiit Mascarpa quae indicavit ster. 1 de vino et 1 de sicala.

SEPTEMBER HABET DIES XXX.

TERTIA SEPTEMBRIS VVLPIS FERIT A PEDE DENA.

F *KL* *SEPT.*
G *IIII* *NO.* *Obiit Iohannes Bucconus qui indicavit sol. XX.*
A *III* *NO.* DEPOSITIO SCI AVXANI EPI.
B *PRID.* *NO.*
C *NON.*
D *VIII* *ID.* *Obiit Ugo de Sara qui indicavit sol. XL.*
E *VII* *ID.* . . . . , .
F *VI* *ID.* NATIVITAS SCAE MARIAE.
G *V* *ID.*
A *IIII* *ID.*
B *III* *ID.*

C	*VIII*	*KL.*	SCI IACOBI APOSTOLI, ET SCE CHRISTINAE, ET SCI CHRISTOFORI MAR.
D	*VII*	*KL.*	
E	*VI*	*KL.*	
F	*V*	*KL.*	SCORVM NAZARII ET CELSI MAR. *Obiit pbr. Ansermus (sic) indicavit sol. L.*
G	*IIII*	*KL.*	PROCESSIO AD SCM CELSVM.
A	*III*	*KL.*	*Obiit Beltraminus Muti de Portu die XXX iullii.*
B	*PRID.*	*KL.*	SCI KALIMERI EPI. ET MAR.

AVGVSTVS HABET DIES XXXI (1).

AVGVSTI NEPA PRIMA FVGAT DE FINE SECVNDA.

C	*KL*	*AVG.*	SCORVM MACHABEORUM ET DEP. SCI EUSEBII EPI.
D	*IIII*	*NO.*	
E	*III*	*NO.*	DEP. SCI GAVDENTI EPI NOVAR.
F	*PRID.*	*NO.*	
G	*NON.*		*Sci Dominici conf. Inventor Ordinis Praedicatorum.*
A	*VIII*	*ID.*	SCI XYSTI EPI; Felicissimi et Agapiti.
B	*VII*	*ID.*	SCORVM CARPOFORI ET DONATI.
C	*VI*	*ID.*	*Obiit pbr. Albertus de Silva.*
D	*V*	*ID.*	SCI FIRMI ET RVSTICI: VERONICE.
E	*IIII*	*ID.*	SCI LAVRENTI LEVITAE ET MAR.
F	*III*	*ID.*	SCE RADEGVNDE VIRG.
G	*PRID.*	*ID.*	. . . .
A	*IDVS*	*AUG.*	Scorum Ypoliti et Cassiani.
B	*XVIIII*	*KL.*	*Obiit Guilielmus Pelioni de Portu die XIIII.*
C	*XVIII*	*KL.*	Assumptio Sce Mariae: et trans. scorum Sesinii, Martyrii et Alexandri: et depositio Sci Simpliciani.

(1) *In marg. dx. ma.:*
" Obiit Galdricus de Luvino qui indicavit star.... et pan....
Obiit Gregorius de Marchisio de Gor.... sol. X.
Domina G....
Obiit Gregorius.... iudicavit den. IIII. in terra...."

D *XVII* *KL.*
E *XVI* *KL.* Scorum Mames et Agapiti.
F *XV* *KL.* *Sci Demetri Mart.*
G *XIIII* *KL.* *Scorum Felicis et Fortunati mar.*
Obiit presbyter Petrus de Vuoldomino.
A *XIII* *KL.* *Sci Philiberti abb.*
B *XII* *KL.* SCI LVXORI MAR. f. 64.
C *XI* *KL.* PAS. SCI TIMOTHEI.
D *X* *KL.* *Scorum (sic) Flaviani Confess.*
E *VIIII* *KL.* SCI BARTHOLOMEI APOSTOLI.
Obiit Ardericus de Mascet (?) qui indicavit sestaria duo.
F *VIII* *KL.* SCI GENESII MAR.
G *VII* *KL.* SCI ALEXANDRI MAR.
A *VI* *KL.* *Sci Ruffi Mart.*
B *V* *KL.* SCI AGVSTINI EPI.
C *IIII* *KL.* DECOLLATIO SCI IOHANNIS BAPTISTAE.
D *III* *KL.* *Scorum Felicis et Audacti (sic) mart.*
E *PRID.* *KL.* SCORVM MARCI ET REBUSTIANI.
Obiit Mascarpa quae indicavit ster. I de vino et I de sicala.

SEPTEMBER HABET DIES XXX.

TERTIA SEPTEMBRIS VVLPIS FERIT A PEDE DENA.

F *KL* *SEPT.*
G *IIII* *NO.* *Obiit Iohannes Bucconus qui indicavit sol. XX.*
A *III* *NO.* DEPOSITIO SCI AVXANI EPI.
B *PRID.* *NO.*
C *NON.*
D *VIII* *ID.* *Obiit Ugo de Sara qui indicavit sol. XL.*
E *VII* *ID.* . . . . , .
F *VI* *ID.* NATIVITAS SCAE MARIAE.
G *V* *ID.*
A *IIII* *ID.*
B *III* *ID.*

	C	*PRID. ID.*	
	D	*IDVS.*	*Obiit Gisla uxor Aimi de Germaniaca.*
	E	*XVIII KL.*	SCORVM CORNELI ET CIPRIANI. Eodem die Exalt. *(sic)*....
	F	*XVII KL.*	SCI NICOMEDIS PBRI MAR.
	G	*XVI KL.*	SCAE EVFIMIAE VIRG. ·
	A	*XV KL.*	DEP. SCI SATIRI EPI (sic).
	B	*XIIII KL.*	DEP. SCI EVSTORGII EPI.
			Obiit Gulielmus.... de Agra.
	C	*XIII KL.*	*Obiit Albertus Peganelli (?).... qui indicavit sol. XIIII.*
	D	*XII KL.*	*Obiit Aliosus (?) Clericus.*
			Obiit Petrus de....
	E	*XI KL.*	SCI MATHAEI APLI. et Dep. Sci Clicerii Epi.
	F	*X KL.*	MAVRITII ET COMMILITONVM EIVS.
f. 64'.	G	*VIIII KL.*	*Obiit Imelde Cerade que indicavit sol. XII.*
	A	*VIII KL.*	SCAE TEGLAE VIRG (1).
	B	*VII KL.*	
	C	*VI KL.*	*Sca Iustina Virg.*
			Obiit pbr. Enricus....
			Obiit Òto clericus qui indicavit den. XVII et star. II de frumento et star. II de vino ad ....
			Obiit.... de Canobio, quae indicavit sol. I.
	D	*V KL.*	
	E	*IIII KL.*	
	F	*III KL.*	DED. SCI MICHAHELIS IN MONTE GARGANO.
			Obiit pbr. Iohannes de Curte.
	G	*PRID. KL.*	DEP. SCI HYERONIMI PBRI.

(1) *In marg. al. ma.:*
"Obiit Guilielmus de.... qui indicavit sol. X.
Obiit Guilielmus de Martegaria.
Obiit Sophia de Grantula.
Obiit Guifredus Masicius. sol. X".

OCTVBER HABET DIES XXXI (1).

TERTIVS OCTVBER GLADIVS DECEM IN ORDINE NECTIT.

A	*KL*	*OCT.*	SCI REMIGII EPI.
B	*VI*	*NO.*	*Obiit Albertus de Grantula qui iudicavit sol. X.*
C	*V*	*NO.*	
D	*IIII*	*NO.*	
E	*III*	*NO.*	
F	*PRID.*	*NO.*	
G	*NONAS.*		*Sci Marci Papae.*
A	*VIII*	*ID.*	SCAE PELAGIAE VIRG.
B	*VII*	*ID.*	SCI DOMNINI MAR.
C	*VI*	*ID.*	*Scor. Dionixi, Erasmi Eleuterii.... mar....*
D	*V*	*ID.*	
E	*IIII*	*ID.*	SCI MONE EPI.
F	*III*	*ID.*	*Obiit dona Strania de Cornare (sic) sol. X pro an.*
G	*PRID.*	*ID.*	PAS. SCI CALISTI PAPE.
A	*IDVS*	*OCT.*	DEDIC. ECCLESIAE MEDIOLANI SEQVENTI DOMINICA.
B	*XVII*	*KL.*	SCI GALLI CONF.
C	*XVI*	*KL.*	
D	*XV*	*KL.*	SCI LVCAE EVANGELISTAE.
E	*XIIII*	*KL.*	
F	*XIII*	*KL.*	
G	*XII*	*KL.*	*Obiit presbyter Albertus Quarrasa (sic) post obitum eius habemus paramentum cum missali.*
A	*XI*	*KL.*	SCORVM COSME ET DAMIANI.
B	*X*	*KL.*	*....ribus Gufredus dedit sol. IIII.*
C	*VIIII*	*KL.*	
D	*VIII*	*KL.*	*Obiit Divicia (sic) de roza sol. V.* *Obiit Dominicus de Bederi sol. X pro anima.* f. 65.

(1) *In marg. al. ma.:*
"Obiit Otta Luvini uxor Aldonis qui iudicavit sol. VI.
Obiit Iohannes qui dedit pretium....
Obiit Guilielmus Luvini.... sol....„

E *VII* *KL.*
F *VI* *KL.* *Obiit Anselmus de Bederi.*
G *V* *KL.* SCORVM APOSTOLORVM SIMONIS ET IVDAE. *Dedicatio sci Thomae in Castello.*
A *IIII* *KL.* *Obiit Lanfrancus de Novello dedit sol. X pro anima sua.*
B *III* *KL.* SCI SATURNINI MAR.
C *PRID.* *KL.* DEP. ANTONINI EPI.
Obiit Otta de Bissola, post obitum cuius in labore gradus sol. V.

NOVEMBER HABET DIES XXX (1).

QVINTA NOVEMBRIS ACVS VIX TERTIA MANSIT IN VRNA.

D *KL* *NOV.* DEPO. SCI MAGNI EPI. FESTIVITAS OMNIUM SCORVM.
E *IIII* *NON.*
F *III* *NO.*
G *PRID.* *NO.* VITALIS ET AGRICOLAE.
A *NONAS.* *Dedicatio Sci Petri de Grantora.*
B *VIII* *ID.* *Obiit Albertus filius Villani* (sic) *de Biviliono, qui iudicavit sol. XX tertiol.*
C *VII* *ID.*
D *VI* *ID.*
E *V* *ID.* DEP. SCI AVRELII EPI.
F *IIII* *ID.* *Obiit Albertus Luvini (?) qui iudicavit sol. X.*
G *III* *ID.* DEP. SCI MARTINI EPI CONF.
A *PRID.* *ID.* *Obiit Tedaldus (?) pro quo . . . .*
B *IDVS* *NOV.* SCI ANTONINI MAR.
C *XVIII* *KL.*
D *XVII* *KL.*
E *XVI* *KL.*
F *XV* *KL.* *Obiit Otolinus de Soma.... iudicavit sol. VI.*

(1) *In marg. al. ma.:*
"Obiit dona Gra.... uxor quondam Mainfredii Masizii.... sol. V".

G *XIIII* *KL.* SCI ROMANI MAR.
A *XIII* *KL.*
B *XII* *KL.* *Obiit Tantobella* (sic) *de Grantola et.... iudicaverunt star....*
C *XI* *KL.*
D *X* *KL.* SCAE CECILIAE VIRG.
Obiit .... bella de Luvino que iudicavit sol. V.
E *VIIII* *KL.* SCI CLEMENTIS PAPE.
Obiit prepositus de C.... bio iudicavit.... sol. XX.
F *VIII* *KL.* *Dedicatio S. Georgii de......*
G *VII* *KL.* *Dedicatio ecclesiae Sci Salvatoris de Colmegna.*
A *VI* *KL.* DEP. SCI MIROCLETIS EPI.
B *V* *KL.* f. 65'.
C *IIII* *KL.*
D *III* *KL.* SCORVM GRISANTI ET DARIE.
Obiit Zuilicio de Bradericio qui iudicavit terram Sancte Mariae.
E *PRID.* *KL.* SCI ANDREAE APOSTOLI, ET BAPTISMA SCI AMBROSII.

DECEMBER HABET DIES XXXI.

DAT DVODENA COHORS SEPTIMA INDECEMQUE. DECEMBRIS.

F *KL* *DEC.* (1).
G *IIII* *NO.* *Dedicationes ecclesiarum Sci Petri de Castello....*
A *III* *NO.* (2)

(1) *DEC.: corr. ex* Nov.
(2) *In marg. al. ma.:*
" Obiit Adoluvela quae iudicavit sol. XX.
Obiit pbr. Probus de Lupino, qui iudicavit libras tres et sol. XII.
Obiit Gardiana uxor Guiberti de Brissola qui iudicavit XII sol. qui fuerunt dati in plancta, pro qua debent facere annuale.
Obiit pbr. Petrus et Prepositus de Lupino qui.... iudicavit duo missalia.
Dna. Senzore (?).... iudicavit sol. IIII ".

B	*PRID.*	*NO.*	
C	*NONAS.*		SCI DALMATII. *Obiit pbr. Guilielmus de Luvixia, qui indicavit duo congia vini.*
D	*VIII*	*ID.*	
E	*VII*	*ID.*	ORDINATIO SCI AMBROSII.
F	*VI*	*ID.*	DEP. SCI ZENONIS EPI.
G	*V*	*ID.*	DEP. SCI SYRI EPI. *Dedicatio ecclesiae Sci Euxebii de Agra X.*
A	*IIII*	*ID.*	*Dedicatio ecclesiae Sci Quirici de Bivilione.*
B	*III*	*ID.*	
C	*PRID.*	*ID.*	
D	*IDUS.*		
E	*XVIIII*	*KL.*	
F	*XVIII*	*KL.*	
G	*XVII*	*KL.*	
A	*XVI*	*KL.*	
B	*XV*	*KL.*	
C	*XIIII*	*KL.*	
D	*XIII*	*KL.*	
E	*XII*	*KL.*	SCI THOMAE APOSTOLI.
F	*XI*	*KL.*	
G	*X*	*KL.*	
A	*VIIII*	*KL.*	VIGILIA NATIVITATIS DNI.
B	*VIII*	*KL.*	NATIVITAS DNI NRI IHV XPI SECVNDVM CARNEM.
C	*VII*	*KL.*	SCI STEFANI PROTOMAR.
D	*VI*	*KL.*	SCI IOHANNIS APOSTOLI ET EVANG.
E	*V*	*KL.*	NAT. INNOCENTVM. *Obiit Petrus sol. III de....*
F	*IIII*	*KL.*	ORDINATIO SCI IACOBI APOSTOLI.
G	*III*	*KL.*	TRANS. S. EVGENII. *Obiit Petrus sol. III, den. II* (sic).
A	*PRIDIE*	*KL.*	SCI SILVESTRI CONF.

INDICES

I. - INDEX PSALMORUM ALPHABETICUS

IUXTA VERSIONEM IN RITU AMBR. ADHIBITAM

II. – INDEX CANTICORUM

IUXTA VERSIONEM IN RITU AMBROSIANO ADHIBITAM

III. – INDEX ANALYTICUS

PRAEFATIO.

DISSERTATIO.

EXCERPTA AD MANUALE AMBROS. PERTINENTIA.

Ex cod. ambr. T, 103 SUP.

Ex Libro Monachorum S. Ambrosii.

Ex *Beroldo Novo.*

Ex *Rituali Sacramentorum* saec. XIII.

MANUALE AMBROSIANUM

PARS PRIMA CODICIS VALLIS TRAVALIAE